AMOS

# PROPHETA,

VIGINTI ET NOVEM
Homilijs explicatus, opera &
ſtudio F. MATHVRINI QVADRATI, Pariſienſis Theologi,
Franciſcani Ebroici.

*Additus eſt index copioſiſſimus rerum & verborum.*




PARISIIS,
Apud MICHAELEM SONNIVM, via
Iacobæa ſub Scuto Baſilienſi.
M. D. LXXXVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

# GENERIS NOBILITATE, ERVDITIONE ET VIRTVTE PRÆſtanti viro Roberto Boleueſquco Bellomontiorum Procomiti integerrimo F. Mathurinus Quadratus, S. P. D.

*MIHI fatiſcenti atque fere deficienti, Roberte pietate & eruditione clariſsime, tuis perdoctis literis Phœnice viuacioribus, quas ad me ſæpiſsimè ſcripſiſti, ab eo tempore quo è Delphinate Ebroicas redij, animum & vires subminiſtraſti, & quaſi pro calcaribus adhibuiſti: ſtilum enim tuum, recondita eruditio, multiplex lectio, longiſsimus vſus diu quaſi oblimauit atque fœcundauit, vt cæteros Prophetas, quos minores vocant, Homiliis noſtris elucidaremus, colluſtraremúſque, maximè cum ita auidè & vno impetu præter morem tuum, vt mihi frequenter in familiari colloquio ſignificaſti, tractim & non per trāſennam legeris, quæ tyro in Mala-*

*chiam & Ioelem ſcripſeram. Adde quod Mammontius ſingulari eruditione vir, dum hac tranſiret diuum Michaelem ſalutaturus, eíque nepos tuus & è ſacro baptiſmi fonte filius Guillelmus Poſtellus Ebroicenſis Canonicus & Eccleſiaſticæ iuridictioni Præfectus, de politioribus literis ac ſodalitio noſtro bene meritus Homilias noſtras in Malachiam obtuliſſet, noſtrum laborem laudauerit, neque frustratorium infrugiferúmve fore in concionibus Prophetas interpretaturis expertus ipſe (vt dicebat) conſtanter aſſeruerit. Quos, rogo, mihi tanta iſta iudicia veſtra aculeos, pene dixerim ſtimulos, ad ſcribendum non admouiſſent? Amoſum igitur noſtrum aggreſſus ſum, quem tuum iure dicere poſſem, quia me cunctantem concitaſti, vt in lucem prodiret. Is licet armentarius eſſet ac opilio, vix tamen quis inter alios prophetas inueniri poſſet, qui acrius impios ac prædonios reges exagitauerit, falſos ſacerdotes & miniſtros increpuerit & inſectatus fuerit, atque corruptiſſimos iudices ſeueriſſima ac planè cenſoria oratione repreſſerit ac coarguerit. Merito igitur & optimo iure eum vocare poſſumus Parrheſiaſtem, id eſt, audacter, ingenuè, planéque quod res poſtulabat, dicentem, & ſcelera libere arguentem, quales in Republica libera eſſe debent. Illa vis è Græcis appellatur παῤῥησία, Latine dicere poſſemus liberam contumaciam, quæ non à ſuperbia, ſed ab animi magnitudine ducitur. Niſi enim diuina prouidentia ſæculis ac ætatibus omnibus illud diuinum genus hominum ſuſcitaſſet, quis ea omnia quæ Sathanæ fraude ac impetu proſtrata atque perculſa iacebant, releuaſſet? Quis tetras & impuras libidines compreſſiſſet, & tyrannidis iugum vnquam excutere auſus fuiſſet? Illud di-*

*uinæ prouidentiæ admirabile ac diuinum beneficium, eo mihi admirabilius videri ſolet, quod illa diuina pietatis & veritatis omnis propagatrix & vitiorum expultrix ac eradicatrix natio floruerit ac viguerit, non modo apud eos, quibus Deus impenſius magisque ex animo cupere videbatur, Iudæos videlicet, quibus ipſe theſauros ſuos omnes & gazas effudit, non per ſe modo, verum per eos, quos Baſilius Magnus ἐκφάντορας, hoc eſt Angelos ac diuinos Vates, qui rerum abſconditarum, cæleſtium & diuinarum euoluendarum munere apud Hebræos non ſolum perfuncti ſunt, verum etiam apud Chaldæos, Ægyptios, Perſas ac cæteras nationes exteras, vel ad quas, Deo prouidente, miſsi ſunt, vel apud quas exularunt, vel in quibus longe latéque peregrinati ſunt. Nónne Abraami illa excelſa, infracta ac inuicta animi præſtantia & vi incenſus, paterno ſolo deſerto abdicatóque Chaldæam regionem ſibi luſtrandam peragrandámque cæleſti monitus oraculo, decreuit, in qua idololatriæ, quam præcipuum ſeculi reatũ verè Tertulianus dicit, eliſis ſtirpibus, veræ & germanæ pietatis lætiſsimam ſegetẽ fecit? Certè tanti huius tam præclari, támque ſalutaris inſtituti fontẽ, nullum alium ſtatuit Philo, quàm παῤῥησίαν, quam Abraamo Deus à teneris vnguiculis ad maximarum rerum propagationem ac amplificationem afflarat & adſtilarat. Quo enim quæſo alio ex fonte eſt illa infracta ac incõcuſſa vis, qua Moſes apud Ægyptios Pharaonis in filios Iſrael immanem & efferatam impietatem repreſſit atque retudit? Aut qua diuinus Vates Nathan Dauidem regem duabus fœdiſsimis adulterij & homicidij maculis ſpurcum atque contaminatum grauiſsimo ſeueriſsimóque iudicio perfudit, & perfu-*

ſum ad pœnitẽtis ſcalorem ac ſordes ab'ecit atque proſtrauit. Eadem dicendi libertate inſtructi conſequentes diuini Vates, nunc luxu ac laſciuia diffluẽtes, nunc ad ſegnitiem ac vecordiam, ad auaritiã, idololatriam procũbentes ac proclinantes, ad veram germanámque pietatem, ad abſtinentiam & vitæ puritatem & inſtitutorum ſalubrium exercitationem reuocarunt ac excitarunt. Diuinum illud hominum genus quæ dixit ſensítque, ſemper dixit, ſensítque παῤῥησιαστικῶς, neque vnquam aſſentatorio fuco quicquam venenauit, nihil tectorio pictæ linguæ ſubliuit, quod eſt proprium ac ſolemne homini qui vere nuncupari poteſt παῤῥησιαστὴς. Huius honoris inſigni honeſtatum fuiſſe apud Athenienſes Democharem monimentis ſuarum literarum prodidit Laertius, propter eam quam in ſententiis dicendis vſurpabat nemini ſeruientem ac mancipatam libertatem. Neque enim aliunde permanauit illa admirabilis ac planè diuina animi vis & præſentia, qua Diuus Ioannes Herodem Tetrarcham in fœdiſſimo inceſtus cœno volutabũdum imperterritus reprehendit, aut qua Petrus & Ioannes ſancti Apoſtoli alioqui illiterati in libere pronuntiando non eſſe ſub cœlo aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri, quàm in nomine Ieſu Chriſti Nazareni, & melius eſſe obedire Deo quàm hominibus. Niſi enim me tempus deficeret, poſſem in medium afferre tot ac tantos viros Apoſtolicos ſtrenuos milites, qui illa vi & energia libere dicendi inſtructi armatíque ſeuiſſimorum tyrannorum acerrimos impetus fregerunt atque contuderunt. Niſi enim Deus Opt. Max, ſæculis ac ætatibus omnibus apud quaſcunque gẽtes & nationes ſua diuina prouidentia curaſſet vt ingenui & li-

beri oris heroes promptam ac paratam in dictis factis & quotidianis vitæ inſtitutis vibraſſent ac coruſcaſſent veritatem, Cymeriis tenebris in humana vita fuiſſent caliginoſiora ac tenebricoſiora omnia, & quamlibet præclarè conſtitutæ ac temperatæ Reſpublicæ aut regna, in præſentem perniciem ac exitium dilapſa fuiſſent. Quid enim? Nónne in præſens exitium ibat præceps Græca res, niſi exardeſcentem ac gliſcentem inter Agamemnonem & Achillē iracundiam ſua parrheſia reſtinxiſſet ille, cuius ex ore melle dulcior fluebat oratio, Neſtor Pylius? Ideóque optimo cum iure rex Agamemnon ſibi optat non Græcorum ſtrenuiſsimo Aiaci, ſed liberrimo ore veritatem rebus in omnibus exprimenti Neſtori ſimiles decem. Quid prætere a exiſtimandum eſt futurum fuiſſe ærumnoſius, quid fœdius aut Athenienſi democratico ſtatu, aut Romano regio, ac deinde ariſtocratico, niſi parrheſia Solonis tyranno Piſiſtrato, Demoſtenis Philippo Macedonum regi, Græciæ libertatem & aperta vi & cuniculis labefactanti, Marci Bruti Tarquinio Superbo, Virginij Appio Claudio X. viro, Furij Camilli M. Manlio, Halæ Seruilij Sp. Melio, Marci Tulij Catilinæ & Marco Antonio magno & excelſo interceßiſſet ac reluctata fuiſſet animo? Quid monarchia Franca iniuſtitiæ & impotentiæ labe futurum fuiſſet contaminatius, ſi quo tempore Ludouicus XI. Rex vt fortißimus ac feliciſsimus, ſic in ſuis cupiditatibus ardentiſsimus, eius clauum tenebat, illius paulò à bono & æquo & eius pudore & maieſtate abruptis atque abſciſsis cupiditatibus liberrimè obſtitiſſet ac refragatus fuiſſet integerrimus & inculpatiſsimus Præſes Pariſiēſis Senatus IIII. Virûm princeps Guillelmus Vacherius?

Edicto cauerat neſcio quid, quod Annalium Francorum monimentis non eſt proditum, hic Rex, quod & eius fiſci damno, & coronæ probro coniunctũ erat maximo. Cùm autem ille cupiditate præſtinctus, de more, cuperet Senatum Pariſienſem auctorem eſſe, ei vero Senatus tunc temporis incorruptiſsimus atque intaminatiſsimus, & in optimis ac ſaluberrimis rebus cõſtantiſsimus auctoritatem ſuam quartũ vſque ad imperium ac iuſſum abiurauit. Quam tam cõſtanti, tam præfracta atque abſciſſa, tã Parrheſiaſtica abiuratione ſuccenſus ac percitus, ille feruentioris quam par eſſet animi rex magiſtellis omnibus (ſic enim ſapientiſsimũ ac ſanctiſsimũ illũ ſynedriũ & conſeſſum per ludibriũ nuncupabat) concepto ſuorum auguſtiorum Paſchaliorum iureiurando, mortem eſt interminatus; quæ mortis interminatio cùm ad Senatum perlata fuiſſet, ei vero Guillelmus Vacherius auctor fuit vt eorum capitibus exitium & perniciem imminentem conſilio peruerterẽt, nec ſinerent ſe tandiu, vt eſt in prouerbio, ἱςαἁαι ἐν ξυρõυ ακμῆ, hoc eſt ſtare in acie nouaculæ. Cõſilium, anteuerſióque fuit huiuſmodi: Senatus vniuerſus in ſolemni purpura Luparam iter arripuit; in cuius atrium cum ſe penetraſſet, & rex iras plumbeas præſtans, ab eis minabundus expoſtulaſſet quid expeterent, quídve quæſitum veniſſent. Tum vnus pro omnibus Senatus princeps Vacherius: Mortem, ô bone Rex, quam omnibus certum eſt oppetere prius, quàm ei tuo decreto noſtram accõmodemus auctoritatem, quòd & conſcientiis mentium noſtrarum, quas accepimus à Deo, & quæ à nobis diſtrahi auellíque non poſſunt, obſiſtit ac obtrectatur, & quod regno tuo perniciem exitiúmque conflat atque commolitur. Hoc tam cõſtanti,

támque

támque pio reſponſo pulſus ac permotus Rex, in proximum conclaue tanto hoc Senatoriæ in rebus æquiſſimis ac ſuæ coronæ ſceptróque coniunctiſsimis perſeuerantiæ horrore perfuſus ſe recepit., in quo cum perdiu ingentem lachrymarum vim profundens manſiſſet, ad Senatum congenulatum & eum apertis capitibus expectãtem rediit. At cum eum excitare, ac bono animo ac ſpe eſſe iuſſiſſet, liquidò ex animi regij ſenotentia deierauit ſe nunquam quicquam edicturum, quod iuſtitiæ & eius dignitati ac maieſtati congrueret atque adhæreſceret. O Vacherium IIII. Virûm Pariſienſium Præſulem conſtantiſsimum, & in rebus iuſtiſsimis perſeuerantiſsimum, digniſsimum ſane, qui miſerrimis his temporibus & perditiſsimis moribus, quibus non veritate temperatur, ſed obſequio, ſuſq; deq; volutãtur omnia, Franco diplomati præeſſet.

Quid bone Chriſte, futurum fuiſſet magis laceratum, exulceratum atque profligatum Eccleſia Chriſtiana, Catholica, Apoſtolica & Romana noſtris in hiſce partibus, niſi eo, quo hæc exarabam excudebamq; anno ad ea percurãda ac perſananda atrociſsima vulnera, quibus eam tranſuerberarat ac perculerat Caluiniana impietas, ſeſe erexiſſet ac excitaſſet Francæ nobilitatis ac pietatis flos Carolus Borbonius illuſtriſſimus ac piiſsimus Cardinalis, cuius in hoc ſaluberrimo & diuiniſsimo accurando munere tanta effloruit vel alacritas, vel felicitas vt mihi piiſsimus ille heros, & Chriſtianæ ac orthodoxæ religionis propugnator acerrimus videatur digniſsimus eo immortali gloriæ inſigni, quo Arceſilaũ Cyrenæũ ornat ac decorat Pindarus Pyth. hymno IIII. his pellucẽtiſsimis verſibus:

Ἐσσὶ δ' ἰατὴρ ἐπικαιρότατος,
Παιάν τέ σοι τιμᾷ φάος.
Χρὴ μαλακὰν χεῖρα προσ-
βάλλοντα τρώμαν ἕλκεος ἀμφι πελεῖν
Ῥάδιον μὲν γὰρ πόλιν σεῖ-
σαι καὶ φαυροτέροις, ἀλλ' ἐπὶ χώ-
ρας αὖθις ἕσσαι δυσπαλὲς
Δὴ γίνεται ἐξαπίνας,
Εἰ μὴ θεὸς ἀγεμονέασι κυβερ-
νατὴρ γένηται.

*Sed longo ex diuerticulo ad inſtitutum noſtrum reuolet oratio. Siquis vnquam eximius inter eorum heroum aureum genus, & ſententiarum grauitate, pondere, ſanctitate collucens ac renidens fuerit, certè diuinus Vates Amos punctum omne tulit. Nam meo iudicio, diuinorum Vatũ nemo eſt, qui acrius, liberius vi ſeuerius transfigat ac tranſuerberet vitia, quibus cadebat Iſraelitas ſua libera electione à vera Eccleſia deficiẽtes, atque cõtributos ſuos Dei iuſtiſsimam iram in ſe accendere ac exacuere hoc vno, licet in ſyluis inter pecuarios & bubulcos enutrito, ſtringendis ſycomoris aſſueto: in quem à me ſcriptis cõmentariolis his temporibus ſubſciſiuis, & quæ mihi reliqua ſunt ex negotiis domeſticis, quæ me diſtringunt, aut concionibus quibus pro mea virili pomœrium Eccleſiæ Catholicæ aduerſus eius finium diſturbatores profero, cũ ducem aliquem exquirerem ſub cuius labaro hæ meæ in diuinum hunc Vatem Homiliæ tutæ ac ab omni liuoris ac Momi impetu morſúque ſartas tectas in manus piorum hominũ prodirent: Tu mihi, vir clariſsime, vnus, vt præſens aliquis Angelus Tobiæ filio, occurriſti: qui mihi dignus viſus eſt, cui hæ meæ in hunc* πάῤῥη σιαςικώτατον *Vatem lucubrationes dicerẽtur ac nuncuparentur. Nam primum ſi de ſtudio quo ſemper*

*exarſiſti ad propagationem æqui & boni, aliquid aſpergendum eſt: Ecquis te in vniuerſa Diœceſi noſtra reperietur dignior hoc Horatiano encomio? Et qui cõſtantius, firmius perſeuerantius encomii illius omnibus perfunctus ſit partibus? Encomium illud Horatianum expreſſum eſt his verſibus, in quibus, tãquam in picta tabula videor mihi intueri delineatam graphicè eam iuſtitiam ac æquitatem, qua cõmiſſam tibi à Deo & Rege Iuriſdictionem obiiſti atque tẽperaſti.*

Vir bonus, quis?
Qui conſulta patrum, qui leges iuráque ſeruat.
Quo multæ magnæque ſecantur iudice lites,
Quo reſponſore, & quo cauſæ teſte tenentur.

*Quis præterea aut te vno, aut filiis (quibus te vt veriſſimis tuæ in optimis ac ſaluberrimis rebus veriſſimis exemplaribus Deus auxit) conſtantius perſeuerantius populum ſuæ fidei cõmiſſum rexit, leges atque inſtituta antiquæ religionis, & à maioribus per manus traditæ congruentia atque cõuenientia ſtabiliuit? Impios & publicæ trãquilitatis euerſores, & à Chriſtiana atque Catholica pietate profugas, liberius & quotidianis ſanctiſſimis ſermonibus & politiſſimis ſcriptis caſtigauit atque repreßit? Quis bonos, pios & orthodoxæ religionis fortes propugnatores confidentius, alacrius, benignius aut conſolando, aut conſilio, aut re ſubleuauit? Quis præcepta ſalutis laudabiliora, ac cum diuina lege coniunctiora, ſiue priuatim cũ ſuis colloquẽdo, ſiue pro tribunali ſedẽdo liberius ac promptius edidit? Quis alacrius vnquam hortatus eſt ad decus & obſequentiam, qua noſtrum quiſque obſtrictus eſt Deo Regi, Magiſtratui? Quis regionis in qua Deus tuarũ collocauit ſedem fortunarũ Xenodochia,*

*cœnobia & alia religionis loca, quæ Baſilius dicit ἀσκητήρια aut ornauit, aluit, ſocillatus eſt comius ac benignius vno te, aut vxore tua Genoueſa de Surreau Farcenſi primaria ac lectiſsima fœmina, cuius in pauperes Chriſti membra veriſsima, tam fuit liberalis ac exprompta propenſio, vt nunquam exareſcentibus piis eius in pauperes erogationibus liquido ſignificarit, ſe ſibi in animum induxiſſe, quod Baſilius Magnus ἐν τῷ περὶ ἐλεημοσύνης deprædicarat habere perſuaſum debere eos omnes quibus eſt cordi animi ſalus, videlicet, fortunæ bonorum, quibus te & eam Deus auxerat œconomiam, hoc eſt procuratione̅ temperationémque tuam & ſuam tantum: cæteru̅ vſum & mancipium eſſe penes Chriſti membra, pauperes, quorum ſubleuatio eſt certiſsimus in cœlum gradus. Certè minime dubium eſt, quin vt Baſilius Magnus ait, eam Deus in extremo iudicio non amplexetur ac excipiat. Non eam collaudent Angeli, & homines à condito mundo. Non beatiſsimam autument, & quin illi benigniſsimæ mulieri æterna gloria, corona iuſtitiæ, & regnum cœleſte in præmium ceſſura non ſint. Sed iam exaudiamus noſtru̅ diuinum Vatem, & eum quidem γνησίως παῤῥησιαστὴν ea præcepta ſalutis primum Iſraelitis ad quos præcipuè delegatus fuerat, tum domum Eccleſiæ Iudæ ede̅dem, quibus ſi illi morem geſsiſſent, Dei iuſtiſsima̅ in hac vita iram amoliti fuiſſent ac auertiſſent, & poſt mortem ab Orci & Sathanæ faucibus eripuiſſent. Vale vir nobilis ac ſapiens: Et ſi me ſcias dies ac noctes ad preces pro tua incolumitate fundendas excubare, mutuum mecum facito. Ebroicis, die 22. Septembris, M.D.LXXXV.*

# IN AMOS PROPHETAM Homilię fratris Mathurini Quadrati, Doctoris Pariſienſis ſodalitij franciſcani.

## CAP. i.

### *Homilia prima.*

*VErba Amos, qui fuit in paſtoribus Thecuæ: quæ vidit ſuper Iſrael in diebus Oziæ regis Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas regis Iſrael ante duos annos terræmotus. Et dixit: Dominus de Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocem ſuam. Et luxerunt ſpecioſa paſtorum, & exſicicatus eſt vertex Charmeli.*

TAmetſi duobus in imperiis Iudæ & Iſraelis eſſent quãplurimi ſciẽtia, nobilitate & diuitiis clari (maxime iſtis duobus regibus Vſia & Ieroboam, vtriuſq; imperij clauum te-

nentibus & Reipublicæ gubernacula tra-
ctantibus) quorum miniſterio Deus Op-
timus Maximus, vti poterat in illis ar-
Act. 15. guēdis, qui à pietate & à domo regia Da-
uidis defecerant, Amoſum tamen, cuius
auctoritatem Apoſtoli in concilio Hie-
roſolimitano maximi fecerunt, opilionē
paſcendis pecoribus aſſuetum, humi pro-
ſtratum ſuſcitat & de puluere tollit, vt ip-
ſe prophetiæ ſpiritu donatus & inſtru-
ctus, reges alto ſedentes ſolio, ſacerdotes
ipſos; (quorum alios docere interfuerat)
& totum denique populum ſeueriter ob-
iurgaret, conſtāter argueret, atque virili-
ter carperet nullius fauorem ambiens,
neque potentium minis & terroribus ce-
dens. Quo loco re ipſa comperimus apud
Deum perſonarum nullum eſſe delectū,
ſed vt potentes & nobiles (qualis Iſaias
extitit) ſic etiam humiles & pecuarios vt
Amoſum noſtrum, quem vobis interpre-
tandum ſuſcepimus, ad propheticum
munus euexit. Habet Chriſtus in Eccle-
ſia ſua Paulos, Timothæos, Apolos, &
Dionyſios literis pollentes, & ſcriptura-
rum cognitione egregiè inſtructos, ſed
habet etiam & piſcatores & telonarios.

Non igitur amplius pauperes & abiecti conquerantur, ac ſi Dominus Deus illos prętериret. Quò enim iniquius à mundo tractantur, eo magis Deo curæ ſunt. Quis ſicut Dominus Deus noſter, dicebat Dauid, qui quidem in altis habitat, humiliáque reſpicit in cælo & in terra? Infirma & imbecilia mundi eligit, vt ſuperba & fortia confundat. Theſaurum enim incomparabilem ſuæ doctrinæ in vaſis fictilibus reponit, quo melius eius virtus reluceat. Hieruſalem vrbium nobiliſſima, pietatis & literarum mater vatem noſtrum non protulit, ſed Thecoa vicus ignobilis, alendis pecoribus addictus ab iſto vico aliquid boni exire, quis vnquam exiſtimaſſet? Iſtud interim facit plurimum in doctoris & eruditoris ſpiritus commēdationem: atque huic melius nobis ſancitur huius vaticinij auctoritas, quandoquidem armentarium Sycomoros vellicantem ſuſtulit è caulis, vt ſtudio curáque fideli populum Iſrael paſceret ac regeret. Hinc diſcamus veram doctrinam non ex hominibus pendere, ſed à ſpiritu ſancto. Ab eo igitur ſolicitè quærenda veritatis ſcientia eſt. Ipſe eſt qui

2. Co. 4.

omnem docet homines veritatem. Magnum profecto gratiæ & gloriæ Domini præconium eſt, in eo quod paſtorem deſertis aſſuetum, prophetam mirificum facere & dignanter voluit & efficaciter potuit. Per os enim huiuſce vatis noſtri is ipſe loquutus eſt, qui & quondam fecerat, vt aſina Balaã loqueretur. Et quemadmodum in Gentis Hebrææ iudicium & condemnationem Ionas ad Niniuitas miſſus fuerat, ſic & iſte armẽtorum cuſtos ad munus propheticum aſſumptus eſt, vt pſeudoprophetarum, ambitione turgentium, ſtultitiam condemnaret, qui reiecto vero deo, Baalis oracula & vitulos cõſulebant. Quamuis enim vates in epigraphe verba, ſeu res, quæ ſuper Iſraelem, id eſt decem tribus vidit, ſua eſſe dicat, nihil tamẽ aliud vult, quàm ſe duntaxat miniſtrum profiteri, quum & ea per reuelationem accepiſſe (iuxta verbi Hebraici חזה proprietatem pro quo Cicero diceret animo videre) aſſerat: neque qui plantat, neque qui rigat aliquid eſt, ſed qui incrementum dat deus. Sic nos ergo exiſtimet homo, dicebat Apoſt. vt miniſtros Dei & diſpenſatóres myſteriorum eius.

Illud interea ſilentio non prætereundũ, decem tribus, quæ ſacerdotes Dei ordinarios verbi & ceremoniarum legis miniſtros reſpuerãt, coguntur pecuarium exulem & extraordinarium audire, qui & ſcelera illis exprobret, & totius gẽtis ſuæ impendens exitium intrepidè denunciet. Græci qui Eccleſiam catholicam recta conſulentem audire noluerunt, modo impelluntur ſuperſtitioſam Mahometi ſectam oculis perſpicere, & prophanos ipſius ſectæ myſtos audire, diſſimulare, & ſilentio probare. Nos autem Galli qui olim monſtris caruimus, & qui à fide & pietate aberrantes ſolebamus in viam reducere, coacti fuimus neglectis paſtoribus & doctoribus noſtris catholicis Germanos exules & Allobroges infideles ſuſcipere, qui ſuis nouis & falſis doctrinis multos corruperunt. Parum fuiſſet pecuarios & exules audire, modo orthodoxê veluti Amos, ipſi docuiſſent.

Quamuis hoc vaticinium: maximè in decem tribus æditum ſit, quibus prædicitur, propter impietates & ſcelera ſua, penitus deuaſtandas eſſe, duarum tamen tribuum, meminit aliquando

& ſtillum ſuum in illas ſtringit, ſed obiter tantùm & per tranſennam. Vt autem vaticinij ratio magis ac magis eluceſcat, ſub quibus regibus vaticinatus fuerit Amos, paucis aperiamus. Sub Ozia rege Iudæ & Ieroboamo filio Ioas Iſraelis rege. Cum ambo reges iſti vtriuſque Imperij res ſatis fœliciter adminiſtrarent, & proſperè ipſis imperantibus omnia ſe haberent, quēadmodum ex libris Regum & ex cronicis conſtat. Amos noſter ad regnum Iſraelis miſſus eſt, qui regum, principum, & ſacerdotum inſolentiam comprimeret. Vix enim fieri potuit, quin ſucceſſus rerum felicior, nimium elatos effecerit, ſuámque religionem nouam & perniciosam maximè confirmarit quaſi ipſa melior eſſet, Deóque acceptior quàm illa vetus à duabus tribubus hactenus retenta. Si quid lætius & ſecundius ſolito hæreticis accidat, eo ſuam hæreſim aduerſus Catholicos obfirmare conantur. Longè profectò aliud ſibi pollicebantur Iſraelitæ ex felici euentu ac rerum proſperitate, qua ebrij erāt, quàm illud quod vates interminabatur, vtpote iram Dei grauiſſimam, maledictiones infeliciſſimas, ſuplicia ſeueriſſima atque vaſtatio-

nes abominandas. Hæc maxima cum difficultate perſuaderi poterant, cum Hieroboam reſtituiſſet terminos Iſrael ab Emath, vſque ad deſertum ſolitudinis iuxta ſermonem Domini Dei Iſrael, quẽ locutus fuerat per ſeruum ſuum onam Amathi filium: ipſe etiam teſte Ioſepho, de regno Iſrael optime meritus fuerat, & in ſumma felicitate vitam degebat, & vt vno verbo dicam, vix vnquam Iſraelis imperium florentius & beatius fuerat. Hinc docemur non in vtramque aurem dormiendum, cum ex animi ſententia, huius ſeculi res nobis contingere videntur: imo vero acurate cogitandum eſt copiam bonitatis diuinæ, tolerantiæ ac lenitudine nos ad pœnitentiã imitari, quas ſi contempſerimus, pro duritia & corde pœnitere neſcio, iram Dei nobis ipſis reponimus theſauriſamúſque in die iræ & declarationis iuſti iudicij Dei. Ne ſimiles efficiamur iis, qui præſente rerum fortuna excœcati, Noe & Loth iuſtitiæ prçcones audire noluerunt.

Ozias qui & Azarias non minori rerum ſucceſſu potitus fuerat quàm Hieroboamus initio cum faceret quod coram Domino rectum erat: nam hoſtes circum-

quaque domuit, rerum vero ſucceſſu elatus, regum & principum more in tantam arrogantiam prorupit, vt contra ſtatuta diuina ſacerdotale munus aſſumpſerit.
2. Para. 6. Propterea & lepra in fronte percuſſus, & ſi Ioſepho credatur ac R. Selemo, terræ motus quoque magnus tunc factus eſt, cuius hic meminit vates vna cum Zacharia tanquam notiſſimi & maximè inſignis capite ſui vaticinii vltimo. Sub iiſdem enim temporibus imperabat apud Aſſyrios Sardanapalus turpior vitiis quàm nomine. Apud latinos vero Procas Siluius, cui Amulius, expulſo numitore germano, ſucceſſit in regnum. Quo interfecto cõgregata paſtorum & latronum manu, Romulus ſui nominis condidit ciuitatem: videant interea reges & cuiuſcunque ſint ordinis, vt Dominus Deus ſui cultus & miniſterii contemptum non ſinat multum, ſed grauiſſime in eos animaduertat etiam publice qui eum præfracta & impudenti temeritate contemnunt. Id enim multis exemplis deprehendere licet, & maxime iſraelitarum, quos vates plurimũ inſectatur, concionem ſuam pulcherrime accommodãs ſuæ priſtinæ arti, vt & Chriſtus in apoſtolorum piſcatorum vocatio-

ne, quibus dixit, Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. Cuique enim artifici proprium eſt, exemplis vti ab arte ſua deſumptis, vt eſt in prouerbio, tractant fabrilia fabri.

Vates ergo ſimilitudinibus à re paſtoritia ductis, Dei iram deſcribit, Leonis rugitui ipſam comparans, & regnorum euerſionem, manſionum paſtoralium ſcalori, atque paſcuorum amœniorúmque & feracium locorum deſicationi.

Dixit autem Amos ſcilicet. Hæc ſunt quædam præludia & paraſceues ad ea quę dicturus eſt de ſex regnorum euerſione: primum quidem de externis, vicinis tamen perituris, quæ variè & grauiter Iſrael afflixerant differit: Tum demum de Iſrael & Iudæ ob Moſcholatriam, & abiectum verum ſyncerúmque dei cultum, in exilium trudendis.

Tam acri exordio vſus eſt vates, ne Iſraelitæ ſibi blandirentur, & vana pollicitatione ſeipſos ſeducerent, ac ſi propter merita ſua felices agerent & victoriis potirentur, imo vero vt hac rerum proſperitate allecti reſipiſcerent, alias audituri & conſideraturi Dominum Deum de

Syone rugientem & de Hieruſalem vocem ſuam ædentem. Quaſi diceret, hactenus patrem indulgentem vobiſcum egit Deus non ſceleribus veſtris conniuens, ſed ad reſipiſcentiam ſubaccendẽs, modo vero crudelem carnificem, immitem tyrannũ ſentietis. Non amplius vos cuſtodiet, quaſi pupillam oculi ſui, nec
Deut. 32. expandet ſuper vos alas ſuas, ſicut aquila prouocans pullos ſuos ad volandum, ſed vt Leo peccatis veſtris prouocatus rugiet, vóſque dilacerabit ac diſcerpet. Et quemadmodum Leo in ſupplices alioqui clementiſſimus, fame preſſus & ira concitatus ne infantibus quidem parcit, ſic neque Deus veſtris parſurus eſt. Voce ſua non ſecus vos terrebit, quàm cætera animantia Leo rugiens terrere ſolet. Incomparabilis illius potentia eſt, cui ne vlla quidem humana obſiſtere poteſt. Vellem iſti homonciones qui à Deo nefanda audent, diligentius Dei virtutem ac vim conſiderarẽt. Non enim minæ per prophetas denunciatæ vanæ ſunt & euanidæ. Illæ tandem aliquando ſuum ſortientur effectum, niſi caſtigati reſipuerimus. Legis concio Leonis rugitui comparatur, quum Euangelium ſit ſuauiſſima

doctrina peccatoribus reſipiſcentibus, Dei gratiam, & miſericordiam repromittens. Notatione dignum exiſtimo, quod de Sione & Hieruſalem Dominũ vocem & rugitum æditurum pronunciat vates (quo in loco externè coli volebat, licet internè vbique) vt omnes alios cultus cautè à primo Hieroboamo adinuentos futiles & vanos, tacita quadam antitheſi demonſtraret. Sion ciuitas ſancta, id eſt Eccleſia vnica eſt in qua duntaxat Deus purè colitur. Athenienſes aras habuerunt, Deum ignotum illic coluerunt, ſed cultus ille nequaquam ipſi gratus fuit, quia extra eccleſiam montem ſanctũ ſuperſtitiosè exhibebatur. Ipſa Sion eſt & Hieruſalem, vbi Deum verè ſpeculamur, & vbi vera pacis viſio: vbi ſic verbum indeſinenter permanet, vt ab ea ſola indeſinenter perfluat, vbi fons veritatis, Dei ſpiritus rigans omnes plantationes Dei. Sub huius limine exeunt aquæ omnia ſanantes, Sedes Dei & agni, vnde procedit aquæ viuæ fluuius ſplendens vti cryſtallus. Cum Dominus de Sione illa & Hieruſalem, de ſpecula Eccleſiæ, quæ ſuper montem ſita latere non poteſt, & in qua viſio pacis eſt, dederit per vetus & no-

*3. Reg. 12.* *Act. 17.* *Ezech. 47.* *Apoc. 22.* *Matth. 5.*

uum teſtamētum, & per doctores eccleſiaſticos vocem ſuam, & quaſi clara buccina inſonuerit: tunc omnia ſpecioſa paſtorum, id eſt doctrina hęreticorum, quæ pulchro concino & compoſito videbatur ſermone elaborata, lugebit atque exareſcet. Hæretici ipſi ſimias agant quantum voluerint, omnes eorum cœtus mera ſunt lupanaria, nec quicquam in illis gratum déo facere poſſunt. Catholici ipſis obiicient Eccleſiam catholicam, & apoſtolicam, vt & Annos decē tribubus à domo Dauid & religione veteri ſeparatis, Sionem & Hieruſalem. Hinc deus oracula ſua ædere, preces & vota exaudire ſolitus erat. Ex illo ſancto loco ſuo vocē æditurus eſt, non illam dulcem, qua olim Abraamum allocutus eſt, noli timere Abraame, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis: non illā qua Iſaaco docebat, Ero tecum & benedicam tibi. Tibi enim & ſemini tuo dabo illas vniuerſas regiones: ſed illam vocem terribilem, qualis eſt leonis prædæ inhiantis illa vox eſt, quæ confringit cedros, quę diſſecat flammas ignis, quæ commouet deſertū Gades, cuius terrifico ſonitu paſtorum mapalia ſeu manſiones antea virētes & paſcuis abundātes ab habitatori-

bus ſuis vacuæ derelinquentur. Huius vocis tam ignitus ſermo eſt, vt ardor eius exſiccaturus ſit verticem montis Carmeli, ſiue intelligas Carmelum illum ad meridianam plagam, in tribu Iuda ſitum, qui paſcuis ſuis quondã Nabalo tria millia ouium, & mille capras alebat, ſiue alium ad ſeptentrionẽ in tribu Iſachar vbi Elias frequens fuit, non minus altero paſcuis, frugibus vineis ac arboribus fertiliſſimũ. Nemini dubiũ eſſe debet hiſce paſtorum manſionibus regum & principum palatia & domos florentes, opibuſque abundantes prophetam intelligere, quæ ſæpe ſudoribus & ſanguine populi ædificantur. Lugendi verbo metaphoricos intelligit ſcalorem & deſolationen, vt nos contra, videre prata dicimus. Satis enim probabile eſt à naſutis hominibus qui nihil audire poſſunt, niſi elegans & torſum, vatem fuiſſe deriſum, ac ſi videretur eſſe cum vaccis ſuis, ouibus & capris: nihil intonare niſi Caulas & ouilia, interim & iſraelitæ & regna ſequẽtia, experti ſunt quicquid ſub metaphoris & verborũ ruſticorũ & paſtoralium inuolucris minatus fuerat Nam quicquid præſtans fuit & eximium

funditus deperiit. Nemo ſanctarum ſcripturarum ſimplicitatem contemnat: Nã vis & efficientia ſpiritus qui in ipſis loquitur, omnis eloquentiæ humanæ vires longe ſuperat. Ipſe eſt ſpiritus ſanctus qui per prophetas locutus eſt, & in illis Chriſtum Dei filium nos docet, cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

# HOMILIA 2.

*SIc dixit Dominus: propter tria ſcelera Damaſci & quatuor non conuertam eam, propterea quod triturauerit plauſtris ferreis ipſam Gilead. Et mittam ignem in domum Hazael, & deuorabit palatia Benhadad: Et conteram vectem Damaſci, & eiiciam habitatores de campo Auen, & ſceptrigerum de domo Edon, & exulabit populus Syriæ ad Cyrenem dixit Dominus.*

VVlgo dicere ſolemus canem coram leone verberandum, vel vt Græci dicunt, μορμολυκίοις ἐκφοβεῖν τὸν λέοντα laruis terrere leonem, cum aliquẽ ex alterius animaduerſione & caſtigatione ad meliorem frugem adducere, & alienis periculis cautiorem reddere tentamus. Quod & à propheta factitatum hoc in loco conſpicimus. Nam cum ad Iſrae-

litas maxime miſſus fuiſſet, qui ob præſentem fortunam, nimium ſuperbirent, in Syriæ regnum, cuius Damaſcus Metropolis extitit, & in alia vicina regna ſtilum ſuum acriter ſtringit, illorum exitium minatus, alio nimirum cõſilio, quàm Eſaias, Hieremias & Ezechiel. Nam ipſi ex Syrorum, Idumæorum, Ægyptiorum & Babyloniorum vaſtatione & interitu nituntur populo ſuo quandam afferre conſolationem, ne animum deſponderent, ac ſi aduerſarij ipſorum perpetuis victoriis potirentur, ac illis vtique ſuperbè illuderẽt. Amos vero non vt Iſraelitas conſoletur, horum regnorum deſtructionem prædicit, vtpote Syriæ, Paleſtinorum, Tyri, Idumææ, Amon & Moab, ſed potius vt eis terrorem incutiat, ex pœnis quas Dominus ſumpturus erat ab infidelibus qui ipſum non nouerant, & vt ex illis diſcerent, quas ipſi pœnas & ſupplicia meriti fuerant, quibus cum Deus Optimus Maximus fœdus inierat, legem & Prophetas dederat, aliis interim gẽtibus in ſua craſſa ignorantia relictis. Seruus ſciens volũtatem Domini ſui & non faciens, pluris vapulabit quàm is qui neſcit, nec facit. Quid igitur nobis facturus iudex viuorũ *Lucæ* 12.

& mortuorum ſi ingrati voci eius non obediuerimus, quibus multo plura contulit beneficia, quàm Iudęis etiam ipſis? Diſcamus igitur gẽtium exterarum ſuppliciis reſipiſcere, & voces prophetarum non contemnere: ne id nobis contingat, quod & Iſraelitis, qui aliorum malis nec ſibi cauentes nec caſtigati pœnas ſuis ſceleribus dignas exoluerunt.

Sic dixit Dominus, cuius ſermo ignitus eſt, quique nec infirmari nec retractari poteſt, quique nec fallit nec fallitur. Hoc frequẽs eſt in prophetis exordium, quod ſuis prophetiis pręponunt, vt ſignificent ſe nihil de ſuo fingere, ſed quæ dicunt à ſpiritu Domini accipere. Ex vilitate igitur perſonæ, grauitas doctrinæ non minuitur. Vnde Tertulianus aſſerit, fidem non ex hominibus æſtimandam eſſe. Sed quid dicat Dominus audiamus. Propter tria ſcelera Damaſci, &c. Syriam, cuius Damaſcus fuit metropolis & caput, vt Eſ.7. habetur, primùm inſectatur vates. Nam ſi futura mala Iſraelitis dumtaxat, præuntiaſſet, & poſtea ipſi vidiſſent vicinos ſuos iiſdem vel ſimilibus plecti, exiſtimaſſent fortunã cæco impetu in omnes irruere & abſque delectu ditionem impo-

impotentiamque ſuam exercere, & ſic cō-
cidiſſet vatis auctoritas. Voluit igitur om-
nium afflictiones prædicere, vt nihil futu-
rum contingere ſcirent, quod nutu & con-
ſilio diuino non fieret. Præterea ſi etiam
gentes iſtas prophanas tantùm in medium
attuliſſet, & eas hiſce calamitatib. percelli
non vnà cum Iſraelitis prædixiſſet, ſimul-
que non omnes inuoluiſſet; exiſtimaſſent
Iſraelitæ deum ſibi fore propitium, idque
propter religionem inuentam, nouam &
fictitiam. Cum prophanis ergo gentibus
illos complectitur. Videmus quoque ſæpe
contingere, vt præfracti homines magis at-
tenti ſint ad aliorum peccata & ſupplicia,
quàm ad ſua audienda. quapropter paula-
tim & ſenſim ex conſideratione aliorum
vult vates aſſueſcant ad ſua cognoſcenda,
ſuper tribus ſcel. Potuiſſet vates multa &
varia Syrorum peccata recenſendo exagi-
tare, ſed vnicum duntaxat vellicat, videli-
cet quòd ſerris vel tribulis ferreis, id eſt ſu-
prà quā dici poteſt Gileaditas trituraiuiſ-
ſent. Galaad regio & ciuitas eſt in ſorte di-
midiæ tribus Manaſſæ, vbi Syrij vehemen-
ter Iſraelitas afflixerant. Hi enim qui no-
ua ſupplicia excogitarunt, tyrannis etiam
ipſis odioſi fuerunt. Id clarum & manifeſtū

eſt de tyranno qui pro mercede illius qui taurum ęneum inuenerat, ipſum inuentorem in taurum primus coniecit: ad generum etiam cereris non diſcedunt morte ſicca tyranni, nec magis nouum in tota ſua perigrinatione vidit philoſophus quā tyrannum diu vitam trahere. Vult interea vates hoc argumento oſtendere qualia & quanta ſupplicia manerent Iſraelitas, qui longe grauiora perpetrarent. Nam & religionem & cultum veterem peruerterent, mutuis ſe vulneribus in bellis ipſi & decem tribus confecerant, omnem prorſus exuerant humanitatem, ita vt in ſcelera omnia coniuraſſe dixiſſes. Infert ergo non impune laturos tot peccata, quandoquidē gentes incircūciſæ ſic tractādæ erant, propterea quod profeſſos inimicos iniquius quàm par erat, afflixerant.

Sub tribus interim & quatuor, peccatorum magnitudinem & multitudinem cōprehendit, quibus Syrij & alij irretiti fuerāt. Nam tres & quatuor numerum ſeptenarium efficiūt. Septenario numero Leu. 26 punitionis grauitas in verbi contemptores oſtenditur. Puniam, ait, vos ſeptuplo. Et Gen. 4. Deus interfectorem Cayn ſepties punitum iri, dicit, id eſt multis &

grauibus pœnis. Summa ergo eſt, Syros & alios, quos nominat in tantam ſcelerum obſtinationem prorupiſſe, vt nulla eſſet reſipiſcentiæ ſpes. In iſtis omnibus populis, relucet longanimitas & patiētia dei, qui non propter vnum ſcelus aut alterum eos indurat, & in reprobum ſenſum tradit, ſed ob multa & varia propéque infinita. Quouſque enim completæ fuerint iniquitates, punitiones & pœnas differt. ne igitur quis conqueratur de nimio rigore, quam deus in ſceleratos & impios animaduertit, ſi noſtræ infeliciſſimæ tempeſtatis ſcelera conferamus cum Syrorum ſceleribus, maxime vereor ne noſtra ſint tetriora. Non mirabile igitur ſi omnia fere diuinæ iræ & vindictæ flagella in dies experiamur. Fruſtra deus Opt. max. tandiu ad reſipiſcentiam præſtolatur, vſque ad tertiam & quartam generationem noxas condonare ſolet, vt miſericordiarum ſuarum copiam oſtendat, quum vero toties eodem peccati relabimur, atque leuitate & patientia ipſius abutimur, non vltra ad reſipiſcentiam nos reuocat, nec vltra expectat, ſed nobis ipſis relinquit. Grauiſſima ſane omnium pœna, ſibi ipſi hominem relinqui, nec à Deo erigi. Propterea Hieremias lamenationes ſuas

claudit, Conuerte me ad te domine, & conuertemur. O ter quaterque beatum illũ, quem dominus conuertit & ad ſe reuocat, ne pereat. Nolim hunc ſequi ſensũ, quem ex hoc loco eruunt aliqui, nimirũ, ſi quater quis eodem ſceleris relapſus fuerit, à deo abiici omnino & ſibi ipſi relinqui: nam quoties ingemiſcit peccator, paratus eſt dominus & ipſi parcere. Periculi tamen plenum eſt toties eodem peccati relabi. Eccleſia primæua maxima cũ difficultate huiuſmodi ad poenitentiam admittere ſolebat, vt ex Tertuliani, diuorum Cypriani & Ambroſij ſcriptis videre licet.

Priora quidem bella, quæ Syri Iſraelitis intulerant, patienter dominus deus ſuſtinuerat, & præcipuè cùm ab Achabo eſſent laceſſiti, quippe qui falſis miniſtris credẽs, mera ſui animi libidine bellum contra veracis vatis Michææ votum mouerat, quẽadmodum legitur 3. Reg. 22. Sed cùm Azael Syrorum rex & filium eius Benadad ſuæ tyrannidis modum ſtatuentes, munitas Iſraelis ciuitates igne ſuccenderent, iuuenes eorum gladio interficerent, paruulos eorum eliderẽt, & pręgnantes diſtraherẽt, adeoque quaſi puluerem, in tritura areæ

ad nihilum eos redigerent, nullo modo ſuſtinere potuit, quin tantum facinus igne & aliis ſuppliciis expiaret. Sunt bella quædam iuſta, & ea maximè, quæ magiſtratus autoritate ſuſcipiuntur, & præcipuè ea quæ contra hoſtium incurſus. Alia verò, quæ mera animi libidine mouentur, exitioſa ſunt. *Mittam ignem in domum Azael &c.* Parum fuiſſet regis Syrorum familiam, vtpote eius nepotes, (ex quibus Rezin extitit, interfectus à Tiglath, Pileſer rege Aſſyriorum) palatia ſine cæde & Rapina magnificè & ſuperbe ſibi & ſuis poſteris conſtructa, igne abſumi, niſi & Damaſci vectes, id eſt iudices, ſua concordia & conſenſu totam ciuitatem continentes, atque à temerario malorum hominum inſultu, legibus tamquã repagulis eam defendentes, contriuiſſet. Phraſis loquẽdi non multùm huic abſimilis reperitur, prouerb. 18. Frater qui adiuuatur à fratre quaſi ciuitas firma, & iudicantes quaſi vectes vrbium. Quid regnis, imperiis, & rebuſpublicis cõmodius & vtilius æqui & recti amantibus iudicibus contingere poſſet? contra vero nihil pernicioſius ipſis priuari. Nã tunc rerumpublicarum pernicies liberè in bonos graſſatur,

Ietro Moſis ſocer, quales deberēt eſſe Iudices, paucis ſed viuis coloribus depinxit. Cuius conſilium vtinam reges eſſent ſequuti, non ſic prædæ eſſent omnia expoſita. Scriptura vbique clamat, Rectum iudicium iudicate, quia iudicium domini eſt. Iudicia olim in portis quæ ſanctæ erant, fiebant, vt ſic ruſtici citius expedirentur. Druydes vno die olim totius regni lites componebant, hodie vero in infinitum protelantur atque prorogantur, neſcio an iudicum aut patronorum aſtutia, vel populi vitilitigatoris malitia.

Ad pœnam internam, quæ omnium grauiſſima eſt, nempe à Deo relinqui, hæc externa conſequitur. Fieri profecto non poteſt, quin miſerrime cum eo agatur quē dominus deus totius bonitatis fons reſpuerit ac repudiauerit ipſe omnibus malis & pœnis exponatur neceſſe eſt, vt hic perſpicere licet de Syris. Vectes eorum, id eſt, robur, munitiones, portas & clauſtra munitiſſima deus confregit, vrbes populoſas habitatoribus nudauit. Reges & regiam dignitatem abſtulit. Coactíque fuerunt exteris ſeruire gentibus & in remotiſſimas regiones & vrbes, vt in Cyrenem relegati ſunt. Damaſci deuaſtatio & populi tranſla-

tio facta eſt ab Aſſyriis, vt 4. Reg. 16. conſtat. Similia quotidie nobis impendent pericula, nec ſerio tamen reſipiſcimus. infra minimum temporis ſpatium tres aut quatuor reges in Gallia amiſimus, quos hæretici non fleuerunt, qui omnem regium tenentem ſceptrum vellent exterminatum, vt eorum excitatorium teſtatur matutinũ Vngaria Chriſtianis ſuis regibus priuata, & in turcarum manus ob ſeditiones ſuas & diuiſiones prolapſa, nos ad ſaniorem mẽtem adduxiſſe debuiſſet. Si autem iſtæ pœnæ externæ ſolæ eſſent, & non internæ, id eſt, non derelinqueremur à Deo propter ſcelera noſtra, parum eſſet. Nam pœnę externæ ſunt amantis virga, qua ſæpe afficiuntur electi. Paulo datus eſt ſtimulus carnis, & Sathanas qui ipsũ collaphizaret, ne magnitudo reuelationum illum extolleret, cui deprecanti dominum vt à ſe auferet, dictum eſt, Paule tibi ſufficiat gratia 2. Cor. 12.
mea, virtus enim in infirmitate perficitur. Deum igitur Opt. max. precemur vt flagellis iſtis quæ à multis annis patimur, Caſtigati & humiliati flectamur, nóſque toti ad obediendum ei tradamus. Cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum.

Amen.

# HOMILIA 3.

*SIc dixit dominus. Super tribus ſceleribus Gazæ, & ſuper quatuor non conuertam eum (vel nō parcam ei) eo quòd tranſtulerunt captiuitatem perfectam, vt concluderent eam in Idumæam. Et mittam ignem in murum Gazæ, & deuorabit ædes eius, Et diſperdam habitatorem de Azoto, & tenentem ſceptrum de Abſcalône. Et conuertam manum meam ſuper Acron: Et peribunt reliqui Philiſtinorum, dicit dominus Deus. Hęc dicit dominus. Super tribus ſceleribus Tyri, & ſuper quatuor non conuertam eum, eo quod concluſerint captiuitatem perfectam in Idumæa, Et non ſunt recordati fœderis fratrum. Et mittam ignem in murum Tyri, & deuorabit ædes eius.*

QVænam fuerit obductionis ac reprobationis cauſa, non parum multorum animos anxiè torſit, cùm dei, iuſti & æqui iudicis inuariabile decretum ſit generalis cauſa. Quòd ſi ſpeciales ſæpe nobis occultentur, aliquæ tamen, ne deus iniuſtitiæ argueretur, hoc in loco oſtenduntur, ob quas gentes iſtæ reprobatæ ac reiectæ fuerint. Vtpote in Damaſcenis

crudelitas, in Philiſtæis, quòd omnis humani affectus obliti, afflictionem afflictioni addiderint, &c. Ne in conſiliis dei diſquirendis, quæ inſcrutabilia, & abyſſus impenetrabilis, ſimus nimiùm curioſi, ſed contenti rationibus, quas tradit ſcriptura diuino ſpiritu afflata, vt & iſta, quam modò interpretaturi ſumus, quæ docet deum non fore propitium Palæſtinis ob inhumanitatem & immiſericordiam ſuam in Iſraelitas perſecutionis tempore. Palæſtinorum gẽs Iſraelitis maximè infenſa fuit, & de ipſis triumphos ſæpe reportauit, vt cùm arcam ſub Heli ſacerdote ceperunt, & Saulem in tantas anguſtias redegerunt, vt ſalutis ſpe omnino deſtitutus, enſem in ſeipſum conuerterit, eóque ſeſe tranſfoderit. Bella iſta non illis exprobrantur, quæ deus excitauerat in populi ſui correctionem, ſed illis vitio vertit, quòd victis & exulibus tam miſerè inſultarent, & ad illos tanquã ad aſylũ recurrentes, alienis diuendebãt. Iure belli multa victoribus licẽt in victos, quæ aliàs extra bellum non permitterentur: non tamen omnia licent. Philiſtini autem Iſraelitas, quibuſcum nullum tunc interceſſerat bellum, ſuos fugientes inimicos perquã inhumaniter Rom.11.

tractauerunt. *Captiuitatem completam & perfectam tranſtulerunt* quia neque mulieribus, neque paruulis, neque ſenibus pepercerunt. Et idcirco extremum illis vates denunciat ſupplicium, vt ſi Iſraelitæ non fuerint ſatis excitati ad pœnitentiam, damaſcenorum exemplo, ſaltem diſcāt ex paleſtinis. Quinque fuerunt præcipuæ Paleſtinorum ciuitates, Azza, Aſdod, Aſcelon, Ecron, & Gath, cuius hic non fit mentio, quia in ditionem regum Iuda temporibus Dauidis venerat. Azza vrbs regia, & inter alias inſignis vicina Ægypto in qua Sanſon ductus, vinctus & mortuus eſt vbi Cambiſes omnes belli quod in Ægyptum parabat, copias & opes repoſuerat, in eaque ſibi ὁπλοθήκην, hoc eſt, armamentarium defixerat: ipſa tamen ignibus & flammis deuouebitur. Murus, vallum, foſſa & aggeres non impediēt quo minus in cineres redigatur. Palatia, regia domus non obfuerunt, quin in illam ſeuerè deus animaduerterit. Azotto non proderit celebre fauum Veneri ſacrum. Regia nobilitas de Aſcelum peribit. Ecron manum domini vindicem ſentiet, & vt ſummatim dicam, ira diuina in reliquos paleſtinos deſeuiet. Spiritus ſanctus ſui vbique conſentiens de paleſtinorum

*Iudic. 16.*

interitu apud Hieremiam & Ezechielem Hiere.47.
idem docet. Terrores autem & minæ, qui- Ezech.25.
bus deus Opt. max. piis & impiis minatur, plurimum inter ſe diſtant. nam dum per prophetas ſuos in Iſraëlitas, Eccleſię typũ gerentes, minarum fulmina & tonitrua eiaculatur, vbique pollicetur ſe populi ſui reliquias ſeruaturum. Paleſtinos vero, id eſt hæreticos & infideles omnes vſque ad internecionẽ deleturum, neque reliquiis parſurum, niſi ex lapidibus ſemen Abrahæ fierent ac ſuboleſcerẽt, & Chriſtum deum & hominem pure amplecterẽtur. Quot gẽtes & populi olim maximi nominis extitere, quorum memoria penitus extincta foret, niſi hiſtoria ab antiquis tam feliciter laudata, eos nobis rediuiuos feciſſet. Quo ut hæreticorum ſectæ perierunt, quorum nomina duntaxat in ipſorum ignominiã & confuſionem remanſerunt? iuſtorum memoria erit in ſeculum ſeculi, impiorũ vero funditus peribit: vbi modo Niniua, Babylon, Thebæ, Spartha, & Athenæ? vbi modo fortes illi gigantes & monarchę potentes, qui toti mundo erant terrori? iuſti vero in perpetuũ viuẽt, & apud dominũ eſt merces eorum. minime dubium eſt quin vates à multis deriſus fuerit, quandoquidẽ

Palæſtini erant tunc & nobiliſſimis vrbibus & fortiſſimis munitionibus inſtructi, quos Hebræi é ſuis antiquis ſedibus eiicere & deturbare nunquã potuerunt. Quod præſagiebat vates, huius ſeculi hominibus impoſſibile videbatur. Sed rerum euentus verum eſſe probauit. Ne igitur imperij, regnorum, & rerumpublicarum ſtabilitatẽ & robur é munitionibus & præſidiis æſtimemus, ſed ex timore dei & bonarum legum perpetua obſeruatione. Erant fortaſſe adhuc boni aliqui in hac ciuitate, ob quos dominus deus tandiu pepercit illi.

Rationem ferè eandem affert, ob quam nobiliſſimæ vrbes illæ perierunt cum vniuerſa Palæſtinorum terra, quam prius cõtra Syrios aſſignauerat, vtpote inclementiam, & immiſericordiam in eos, quos vicinia commendatos facere debuerat. Miſericordia apud omnes fit plurimi, contrà vero omnes crudelitatem deteſtantur. Chriſtus miſericordes beatos prædicat, qui eo nomine miſericordiam ſunt conſecuturi. Iacobus apoſtolus iudiciũ ſine miſericordia fieri docet, ei qui miſericordiã non fecerit. Conſeruus qui ſocij ſui non miſertus fuerat, ſe miſericordia indignum reddidit. Paulus Corinthiorum immiſeri-

*Mat.5.* *Iacob.2.* *Mat.18.* *1.Cor.11.*

cordiam cum cænæ dominicæ abuſu taxat, & ob id multos vita orbatos,& alios variis morbis affectos docet. deus per vatem omnes iſtas gentes immiſericordiæ & crudelitatis in populum ſuum arguit, quam non ſinit inultam. Pręcipuæ Galliarum vrbes, vt Pariſij & Lugdunum, erga pauperes tanta miſericordia afficiuntur, vt ij qui ab eccleſia ſeſe diuulſerunt, ipſas laudare cogantur. Beneficentiæ & communionis memores ſimus, omniaque inter nos, vt inter amicos, cõmunia ſunto. Fratres enim ſumus ſacroſancto foedere iuncti. Tyrij tertio loco reprehenduntur propter foederis cum Iſraelitis initi violationem. Hyram ſumma amicitia Dauidem coluit, cũque Solomone fœdus percuſſit, tantaque ei amicitia coniungebatur, vt ipſum fratrem appellaret. Quæ amicitia perſeuerauit in iſtis duobus populis, quouſque Tyrij perſpexerunt Iſraelitas maximis miſeriis affici. Tunc tẽporis amicitiarũ viciniæ & foederis lõga ſeculorũ ſerie cõfirmati omnino immemores, amicis, vicinis foedere ſociatis cõtumelioſe inſultantes, eos ipſos Idumęis inueteratis hoſtibus tradiderũt. Sunt populorũ amicitię, & foedera maximè laudãda, ſed vt plurimũ proſperitatis tẽpore tantũ ſeruari & coli ſolẽt,

Si vero contigerit vnum eorum bellis premi & profligari, alter ridere ſolet in interitu ſociorum, dummodo nullum ſibi incommodum ſentiat. Satis ſuperque gallia noſtra in his exitioſis bellis ciuilibus experta eſt, quæ per paucos ſocios & amicos fidos habuit. Si fueris felix, ait poëta, multos numerabis amicos, tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris Saguntini Romanis ſuis ſociis foederatiſque longè fideliores extiterunt. Hoc ad exagerationē ſceleris multum affert, quod ipſi Tyrij profugos & exules Idumeis tradiderint, cum illis infenſiſſimi eſſent. Conſtat enim Eſau perſecutum fuiſſe fratrem ſuum Iacobum, & idumeos fratribus ſuis iacobeis ex Ægypto egreſſis tranſitum non ſolum denegaſſe, ſed & eis cū graui excercitu occurriſſe, & ſemper hoſtili animo in poſterum erga eos fuiſſe. Has quidem inimicitias inter fra- *Num. 30.* tres, cognatos & affines fouere non oportuit, imo ipſi potius ad concordiam reuocandi fuerāt. Tyrij interim odiorum igniculos inter iſtos germanos populos alebant, quando exules & profugos infenſis idumeis fratribus vēdebant, vt ſuę crudelitatis ſatietatem implerent. Procul ab aula principum deus quatiat & arceat iſtos,

nebulones qui follis inſtar reges accendũt & principes conſanguinitate, propinquitate, vicinitate & fœdere deuinctos, vt mutuis bellis ſeſe atterant confodiantque, & miſerum popellum (qui principum & regum deliria plectitur) in extremã paupertatem redigant. de huiuſmodi dominus deus tandem aliquando ſuos aſſeret & vindicabit, vt Tyriorum exemplum abunde confirmat. Ignis etenim, cuius nomine hoſtem validiſſimum & acerrimum intelligimus, in Tyri mœnia immiſſus, vaſtabit incendio palatia eius. Hæc per Nabuchodonoſorem Chaldeorum regem impleta ſunt, vt ſub finem cap. 29. Ezechielis habemus, etiam ſi poſterioribus temporibus Tyrum grauiſſime afflixerit Alexander magnus, ex inſula peninſulam efficiens. Nam Aſſyrij non funditus euerterant Tyrum, quapropter nouis virib. collectis ipſi è regno in rem publicam euaſerunt, quam denuo Alexander diripuit & vaſtauit. Terrores & minæ diuinæ ſunt maxime reformidandæ, quæ & ſi lento gradu procedant, tarditas tamen ſupplicij grauitate compẽſatur. Non ſolum à Chaldeis, ſed etiam à Græcis Cyrij vaſtati ſunt. Tyrus cuius Euangeliſtæ vt prophetæ ſępe meminerũt

ad ſeptentrionem occiduum terræ Iſrael vergebat, tribui Aſer aſſignata pariter cũ Sydone, quas quidem vrbes Iſraelitę nunquam laceſſiuerant, nec infeſtas habuerant. Et ideo maximè culpandæ & ſuppliciis grauiſſimis puniendæ, quia non leſæ, non laceſſitæ: ſic vicinos malè tractarunt. Neſcio an Eccleſia nõ paſſa ſit grauiora ab iis qui ſeſe electos & Eccleſiæ fratres venditant, quum nil minus ſint, imò vero lupi rapaces gregi Chriſtiano omnibus modis inſidiantes, & nomine quidem Chriſtum profitentęs, re verò ipſa eum oppugnantes ac labefactãtes. Plus Eccleſiæ Catholicæ nocent huiuſmodi falſi fratres, quàm extranei, qui Chriſtum nunquam profeſſi ſunt. Turcicos ſanè furores noſtri tẽporis hæretici longè ſuperarunt. ſed tandem aliquãdo ab vtriſque liberabit nos dominus: Cui laus, honor, & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

# Homilia 4.

*HAec dicit dominus, Super tribus ſceleribus Edom, & ſuper quatuor non conuertam eum, eo quod perſecutus ſit in gladio fratrem ſuum, & violauerit miſericordiam eius, & tenuerit vltra furorem ſuum, & indignationem ſuam ſeruauerit vſque in finem. Mittam ignem in Theman, & deuorabit ædes Boſre. Hæc dicit dominus. Super tribus ſceleribus filiorum Ammon, & ſuper quatuor non conuertam eum, eo quod diſſecuerit prægnantes Galaad ad dilatandum terminum ſuum. Et ſuccendam ignem in muro Rabbath, & deuorabit ædes eius in vlulatu in die belli, & in turbine in die commotionis, & ibit Melchon in captiuitatem ipſe, & principes eius ſimul, dicit dominus.*

QVanquam hæc concepta verborum formula, parum variata & toties repetita, qua deus æquiſſimus iudex, in certiſſimis, aduerſus impios, conſtituendis pœnis, hoc in loco vtitur, prima frõte quibuſdam ſuperuacanea videri poſſet: illam tamen in iudiciis vſitatam eſſe, fortaſſe nemo non veſtrum intelligit. Si enim indies iudex mille ferret ſententias, eadẽ ac fere nihil immutata formula vti ſolet. Senatus vel curia decreuit hunc vel illum, ob ea vel huiuſmodi ſcelera, morti addici. Cum igitur ſupremus iudex, à quo nullus ad aliquem alium appellare poteſt, extremum ferat iudicium in iſta regna, quorũ hîc meminit, non mirum cuiquã videatur,

ſi nihil aut parum ſententiam immutarit. Magna profectó adhibenda eſt cautio, ne extrema illa iudicia in nos ferantur. Quis enim ſuſtinere poterit ſentẽtiam illam duriſſimam, Ite maledicti in ignem æternũ? At vero huc redeo vnde ſum digreſſus. Talis enim ordo in iſtis iudiciis pronunciandis ſeruatur, vt poſteriora prioribus lucis plurimum afferant. Gradatione ſiquidem quæ à Græcis κλίμαξ appellatur vates vtitur. Nam primo quidem loco gẽtes exteras omnino quæ nec cognatione, nec aliquo religionis ſacramento cum Iſraelitis conueniebant, nec ad ipſos pertinebant, niſi quadam vicinitatis coniunctione, attingit, tum demum Idumæos qui non ſolum vicinia, ſed & cognatione (nam duo populi ab Iſaco et Rebecca traxerant originem) & aliquibus etiam ceremoniis in religione communibus & ſimilibus, nẽpe circuncisione iuncti erant. Quos ſi vicinia non retineret, quo minus ſuos vicinos gladio perſequerentur, iſta vt furorem ſuum nunquam intermitterent, ſaltem cognatio & ſacra illa compunctio, ac religionis in aliquibus paritas, illos cohibere debuerat, aliàs cæteris regnis grauius puniendi fuerant. Quanta proh dolor mala

paſſi ſunt Chriſtiani ab hæreticis, qui & baptiſmo aliiſque ſacramentis, vt & ipſi, obſignabantur.

Neſcio ſi ab extraneis, qui ſacris nunquam fuerant initiati, tam dura & acerba ſint aliquando perpeſſi. Sed tandem ſua ipſorum malitia vt & Idumęi, Antichriſtorum, & pſeudocredentium typum gerentes miſeré peribunt. Tempus enim habent à deo ante ſecula præfinitum, quo neceſſe eſt diſpereant. Abdias & Ezechiel Idumeorum vaſtitatem penicillo plus quàm humano depinxerunt.

Poſtquam autem vates noſter de Damaſcenis, qui ad ſeptentrionalem orientalē, & de palęſtinis qui ad occaſum meridionalem, & Tyriis, & Sydonibus qui ad ſeptentrionalem occiduum ſiti erant, cōmemoraſſet, quęque illorum capitibus imminerent, diſcrimina denarraſſet, ad Idumęos, Ammonitas & Moabitas ad meridiem orientalem terræ Iſrael ſitos vaticinium hoc nunc dirigit. *Sic dixit iehoua &c.* Cum ſic videmus populos vndiquaque in circuitu noſtri à domino deo affligi, nobis ipſis timeamus & in futurum caueamus. Scoti, Angli, Germani, Heluetij, Vngari, & quotquot ciuilia bella paſſi ſunt, nos ſapien-

tiores & prudentiores effeciſſe opportuit.
DUOS iſtos populos ſub duorum fratrũ nominibus ad ex aggerãdam Idumęorum barbariem proponit. debuiſſent enim proprio ſanguini parcere, in quem tam atrociter ſæuierũt. Perſecuti sũt fratres gladio, in præſtanda quoque miſericordia corruptè adeò egerunt, neceſſitudinem illam & coniunctionem ac affectum internum, qui inter fratres eſſe debet, & ſolet, barbarè ac Scythicè corrũpendo ius naturæ aboleuerunt, & omnem prorſus humanitatem exuerunt. ex quo enim Iacobus benedictio-
*Gen. 27.* nem paternam Eſauo præripuit, ſingulare odium Eſauus concepit in fratrem, & perpetuum, ita vt de eo occidendo poſt mortem patris ſui in animo ſtatuerit. Hæ inimicitiæ in poſteris permanſerunt, vt Idumæi ſuos fratres patrueles Iſraelitas quandocunque & quibuſcũque poſſent malis afficerent. Innatam hanc ſimultatem ſatis ſuperque oſtenderunt, cum Iſraelitis trãſitum per regionem ſuam denegarunt, licet Iſraelitæ pollicerentur, ſe via regia
*Num. 20.* ituros, nullo quemquam damno affecturos, nil incommodi agris aut regioni allaturos, nullos cibos, imo ne aquam quidẽ ſine precio, vt ſibi vel pecoribus ac iumen-

tis ſuis accepturos. Sed tantum abeſt vt eis licentiam officioſé tribuerint, quin potius cũ manu valida occurrerint, aperta vi eos à ſuis repulſuri finibus. Et vt vno verbo finiam, fuerunt Iſraelitis infenſiſſimi auitarum inimicitiarum & hæreditariarum perpetuo memores. Hæc ferarum agreſtẽ immanitatem & feritatem ſuperant, quæ in eiuſdẽ generis animãtia minimè ſæuiũt. ipſi vero mordicus tenent, & inconſtantiſſime ac pertinaciſſime retinent in fratres ſimultatem, vt nunquam eam miſſam fecerint, nulla temporum intercapedine depoſuerint, niſi inter Chriſtianos hac infelici tempeſtate experiremur conſanguineos, ſiue vllo ſanguinis ſui delectu ſeſe gladiis mutuis confodere, non tam facile huic vaticinio fortaſſe fidem adhiberemus. Interea naturæ cognatio ſatis & ſuper ſufficiens eſſe deberet, vt nobis illatas à fratribus præteritas iniurias obliuione perpetua deleremus. Huius cognationis naturalis commemoratione Abraham nepotẽ ſuum Lothũ à ſeruis ipſius Abrahæ offenſum ſtatim pacauit. Ne ſint inquit, inter nos iurgia: fratres enim ſumus, id eſt, conſanguinei & affines. Quod ſi hoc loco maxime reprehendantur Idumęi, quia cognationis

immemores fratres ſuos Iacobeos gladio ſint perſecuti, quid Gallis noſtris Deus dicturus eſt, qui ſeſe gladiis mutuis abhinc ſex decim annis crudeliter trucidarunt, Quum Cicerone etiam teſte, ne Cognatio quidem vlla propior eſſe poteſt, quàm patriæ? Quid conciuibus exprobraturus eſt, qui viciſſim, vt ſors belli ferebat, ſeſe ciuitatibus præcipites exturbabant? Erant tamen omnes conſanguinei, aut affines, vel quadam neceſſitudine & familiaritate inter ſeſe conglutinati. Præterea Idumæi & Iſraelitæ aliquo religionis ſymbolo inter ſe conueniebant, quod ambo circunciderentur. Religionis enim paritas multum prodeſt in ſimultatibus condonandis, & vt nos mutuò recõciliemus. Hinc eſt quod Ioſephi fratres poſt mortem patris ipſorum verentes ne ipſe Ioſephus iniuriam acceptam vlciſceretur, in medium protulerunt, ſe vnius & eiuſdem dei cultores eſſe, eandemque religionem amplecti. Nos, inquiũt, oramus, vt ſeruis dei patris tui dimittas iniquitatem hãc. Et quum Iudæos ad virtutem excitare opus fuit, & ad amicitiã, hoc illis occinebatur, Filij ſanctorũ ſumus. Sed illud me ſummopere angit & excruciat, nimirum, quum eundem diui-

num cultum, & eaſdem ceremonias teneamus, & deum patrum noſtrorum in Eccleſia Catholica reuereamur & adoremus, inimicitias, velut Idumæi foueamus perpetuas. Quid iuuat quotidie dicere, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris? Sol non debet ſuper iracundiam noſtram occumbere. Ad hæc ira impedit animum ne poſſit cernere verũ. Ne igitur iras plumbeas geramus, & retineamus excandeſcentiam, in ſeculum, id eſt, ſempiternis temporibus aduerſus fratres noſtros, audiamus quibuſnam ſuppliciis Idumæi propter inueteratam, exæſtuantem, & præter modum efferueſcentem iram aduerſus fratres ſuos, fuerint affecti. *immittam igitur ignem in Tenan* metropolim & primariam. Edomiticæ gẽtis ciuitatem (à Taman filio Eliphas filij Eſau dictam) qui deuoraturus etiam eſt palatia, arces ac ſuperbas domos ciuitatis Boſtræ, quæ quod eſſet in confinio Idumęę & Moabitidis, nũc huic nunc illi aſſignari ſolet. Ignis nomine dei vindictam intelligimus, quæ incendio omnia deuoranti abſumentique comparatur. Ipſa quicquid erit odij abſumet, non relinquetur amplius odij locus. Hoſtis gladio & igne omnia

vaſtans, odia componet, iiſque dabit finē. Turca iuſto dei iudicio diſſidia & odia quæ Græci aduerſus Eccleſiā Latinā conceperāt durè & ſeuerè puniuit. Verum hæc hactenus. Ab Idumæis meridionalibus vates digreditur ad Ammonitas & Moabitas, qui ambo ex Loth orti fuerant, ad orientē ſitos ſtatim poſt Galatidem (cuius hîc meminit) vltra Iordanem, vbi tres tribus Ruben, Gad, & dimidia tribus Manaſſe portionem acceperant.

Ad plurima Ammonitarum ſcelera obdormiſſe vel potius cōniuiſſe deus videbatur. Cū vero ſuos terminos latius extendēdi, & tanta ſui imperij fines proferendi cupiditate inſanirent, vt etiam mulieres prægnantes in Galaad medias diſſecarēt quid reliquum eſſet, niſi vt & ipſi penitus diſſecarentur? Ammonitæ non contenti ſuis finibus, quos ſatis amplos diuina miſericordia poſſidebant, vrbes & agros ſuorum vicinorum, prout fert humana cupiditas, quæ quo plus habet, eo plura habere cupit, affectare cœperunt. Præclaras illas atque inſtar montium excelſas ciuitates Galaad diſſecuerūt ſiue inter ſe diſpertiuerunt: atque contigit illis quæ contingere ſolent iis, qui aliena poſſidere malunt quā parta tueri. Nam præferocem hoſtem adduxit

tandem dominus (quem ignis nomine intelligit) in murũ Rabab. Rabab enim quę poſteris tẽporibus Philadelphia dicta eſt, ſonat multam, copioſam: forſan inde cognomen nacta quòd populoſa eſſet, vel quòd opulenta & bonis affluens. Illa Ammonitarum metropolis eſt, quam ignis tempore belli, die procelloſo, aut alioqui turbulento tempore, cum tumultu, ſtrepitu, vociferatione ac veluti turbine quadam proturbabit ac deuorabit. ignis vehementius & latius graſſari ſolet, vbi adiunctus eſt turbo, huc illuc delatus. Rex igitur eorum & principes mutata conditione captiui abducentur, in exilium, & in carceres coniicientur, nulla cuiuſque habita ratione. Hinc vaticinio conformia locuti ſunt Hieremias & Ezechiel: æquum fuit vt talem experirentur immiſericordiam, qualem Iſraelitis præſtiterant, & eos tandem illa exedere quæ aliis intriuerant.

Si Galli noſtri ſuis finibus eſſent contenti, qui longé lateque patent, quique mari, Rheno, Alpibus & Pyreneis montibus terminantur, non tot nobiles & præclaros viros in prælijs amiſiſſemus, neque etiam in huiuſmodi diſcordiis tot gliſcerent hæreſes, quæ regnum quondam florentiſſimum miſeré excindunt & labefactant, Ammonitæ noſtri non inuidia

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

ſolum, ſed & auaritia laborabant. Omni ſtudio conabantur terminos ſuos proferre atque propagare, atque libidine quadã regnandi inuadebant proximos, vt laté dominari poſſent, &id cum proximi damno. Nam montes Galad diſſecuerant, quẽadmodum vertunt aliqui, vt ſuos terminos dilatarent. De prægnantibus tamen cum vetere interprete intelligemus, quibus humanitatis expertes &vitæ communis ignari, non pepercerũt. Cum enim diuinus vates Hieremias dominum deum rogauerit, ne Iſrælitæ liberis & hæredibus carerent, qui in ius patrum ſuccederẽt, eo reſpexiſſe videtur vulgaris interpres, dicens Ammonitas diſſecuiſſe grauidas Galaaditarũ, ne ſcilicet ſuper eſſent liberi, qui ius paternum repeterent, & ita terminos ſuos amplificarent, inuadẽtes in fines Galaaditicos, cùm nemo qui tam atrocem iniuriã vlciſceretur, ſuperſtes eſſet. Neſcio ſi Hugnoti mitiores extiterunt erga Catholicos, dominus deus rependet illis tandem aliquando talem immiſericordiã in die procelloſo. Laudabimus interea deũ Opt. Max. qui talia permittit in peccatorum noſtrorum vindictam. Ipſi ſit laus, honor, & gloria, in ſecula ſeculorum.

# Homilia 5.

*HAEc dicit dominus. Super tribus ſceleribus Moab, Et ſuper quatuor non conuertam eum, eo quod incenderit oßa regis Idumææ vſque ad cinerem: & mittam ignem in Moab in clangore tubæ: Et diſperdam iudicem de medio eius, omnes principes eius interficiam cum eo, dicit dominus. Hæc dicit dominus deus: Super tribus ſceleribus iuda, & ſuper quatuor non conuertam eum, eo quod abiecerit legem domini, & mandata eius non cuſtodierit. deceperunt enim eos idola ſua, poſt quæ abierant patres eorum. Et mittam ignem in Iudam, & deuorabit ædes* Hieruſalem.

QVemadmodum Dominus deus communis omniũ pater ſuam clementiam miſericordiamque plane & aperte demonſtrat, quum ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, ac ſuper agros vtrorumque tempeſtiuam pluuiam mittit, ſic iuſtum & æquum ſeſe oſtendit, quum vtroſque indiſcriminatim, prout merentur, iuſtiſſimè punit, non habito delectu ſi legem in ſolidũ acceperint, vel ſi exleges omnino, vel ſi legis quaſdam duntaxat ceremonias approbarint. in hoc enim illud Pauli apoſtoli verum eſſe apparet,

Quicunque ſine lege peccauerunt, ſine lege quoque peribunt, & quicunque in lege peccauerunt, per legem damnabũtur.

Superioribus enim homiliis intelleximus deum animaduertiſſe in Syros, Palæſtinos, Tyrios, Sidonioſque, gentes incircunciſas, legis & prophetarum inſolentes, atque in Idumeos ex ęquo aliis ſimiles (niſi quod à Sancto patriarcha Abraamo circunciſionem duntaxat retinuerant) tum demum in Ammonitas & Moabitas ſimiliter. Sed quia de poenis quæ Ammonitarum gentem manebant, ſuperiori concione diſſeruimus, reliquum eſt, vt illas attingamus, quibus Moabitæ comprimendi erant, eo quod præcipuè ſuam deploratam crudelitatem ſæuitiam & rabiem in regis Idumæorum demortui oſſa inhumaniter exercuerant, quas in morte illos finiſſe oportuerat. Cordati ſolent victis parcere, quanto magis mortuis? Romanorum imperatores aliqui fleuerũt ſuper vrbes ruituras, quas obſidebant. Achilles etſi maximè indignatus eſſet propter mortem Patrocli amici ſui quem Hector occiderat, nihilominus Hectore interẽpto, permiſit vt eius cadauer ſepulturæ traderetur. in bellis ciuilibus Gallicis tantus extitit furor, vt ne ſepultis quidem parceretur, ſed

ſepulchris effoſſis contra fas omne, nõ paſſi mortem eſſe omnium extremum malorum, cadauerum oſſa per vicos, & plateas trahentes poſtea combuſſerunt, & cineres (præcipuè martyrum) in fluuios proiecerunt, ſic obſtinatam & deploratam malitiam ac impietatem ſatiantes. Hugnotici in primis ciuilibus bellis apud ędem Clerianam Diuæ Marię nuncupatam ac ſacrã prope Aureliã, Regis Ludouici vndecimj, qui quondam perduelles ipſis ſimiles caſtigauerat, oſſa è ſepulturæ requie vi & cũ dedecore maximo extracta combuſſerunt: nec etiam Franciſci Secundi cordi Aureliæ in æde ſanctæ crucis recens ſepulto pepercerunt, quod in ſartagine deponentes Anthropophagorum more frixerunt: cui effrenatæ ac planè ferinæ rabiei modum feciſſe debebat, ſi non humanitas & pietas, at ſaltem mors quæ eſt rerum omnium linea vltima. Dominus deus talia nefanda ſcelera non ſinet inulta, quãdoquidem non pepercit Moabitis exlegibus, qui regis Idumææ oſſa combuſſerant. Quod ſi deus vltor exiſtat iniuriarũ, quæ infidelibus & ſceleratis inferuntur, nonne multo atrocius vlciſcetur eas quæ regibus noſtris chriſtianiſſimis illatæ fuerunt? Nemini facienda iniuria ſiue bonus

ſit ſiue malus, nam vterque proximi nomē ſortitur, vt in hominis ſauciati parabola Chriſtus docuit. dei vltio eſt, & non hominis, niſi deus ipſe illam præciperet, quemadmodum olim Iſraëlitis præceptum fuerat, vt gentes in terra Canaan, deuaſtarēt. Magiſtratui quoque ciuili mandatur, vt in ſontes animaduertat, cum non abs re gladium deferat. Priuatis vero perſonis nuſquam licuit, qui & ab inimicis vtilitatem maximam capere poſſunt: nam vt teſtatur Apoſtolus, afflictio patientiam, patientia probationem, probàtio autem ſpem, &c. Cordatorum & prudentium virorum eſt, quales Chriſtiani eſſe debent, ex inimicis vtilitatem capere, quemadmodum ex ſectis videre eſt, quas neceſſario futuras eſſe in Eccleſia prædixit Paulus.

Ne igitur prauo Moabitarum exemplo de inimicis noſtris pœnas repetamus, qui oſſa Idumæorum regis combuſſerunt. in libris namque regum legimus Moabitarum regem à tribus regibus obſeſſum, videlicet Iſrael, iuda, & Edom, ſic cōſtrictū & coanguſtatum fuiſſe, vt filium ſuū immolarit ſuper murum, quo perſpecto tres iſti reges obſidionem ſoluerunt. Hinc hæbræi colligunt Moabitas in oſsa règis Edō

ſęuiſſe, quin in illum viuum non potuerũt. Aliqui notarunt Moabitas parietes incruſtaſſe ex cineribus oſſium regis Edom, quãdoquidem parùm videtur eſſe oſſa mortuorum cõburere, cum fere apud omnes gentes ſolenne fuerit, corpora mortuorũ vſque ad cinerem abſumere, cinereſque ipſos vrnis condere. Quoquomodo res ſe habeat, deus prohibet talem vindictam, quam ſeueriter punit, vt in ſequenti textu intelligemus. *Et mittam ignem in zeriot &c.* Vt Moabitæ exitium ſuis agreſtibus moribus dignum recipiant, tantam calamitatẽ (quę nomine ignis deſignatur) immittam, vt quicquid eſt magnificarum ædium in ipſa zeriot metropoli, diruam, atque totius regni magiſtratum bellica ſtrage interficiã vnà cum principibus ipſius.

Non ſilentio prætereundum id quod dicit, nimirum Moab moriturum in ſonitu vel tumultu & clangore tubæ, quoniã deus non ſinit tyrannos morte ſicca, vt dicit poeta, id eſt in lecto & morte placida ad generũ Cereris deſcendere, hoc eſt mori. Quia vel gladio, vel veneno interimuntur. Mors Cyri. Alexandri, Hãnibalis, Maximini Britonis, & noſtris temporibus Gaſpari Colignei Talaſſiarchæ, iſtud verum eſſe

teſtatur. At vero ſeruatum ordinem in puniendis Moabitis attendamus. Primum deus iudices excindit, quo nihil grauius & periculoſius imperiis & rebuſpublicis accidere poteſt. Nam ſi magiſtratũ careamus, qui conſilium det, atque principum iram & furorem cohibeat, ipſi protinus in tyrannos degenerant, & ſe mutuïs bellis confodiunt & perimunt. Et vt paucis & breuiter dicam, ſi magiſtratum quis ſuſtulerit quid reliquum erit, niſi totius patriæ vniuerſa deuaſtatio? Vt autem Lacedemonij regum ſuorum quiduis audendi libidinem comprimerent, Ephoros habebant. Galli, Germani, & Angli comitia generalia. Epiſcopi olim Ephororum loco habebantur in vitiis imperatorum arguendis, vt patet de iis qui Philippũ imperatorẽ primum chriſtianum pœnitentiæ publicę addixerunt, Et de D. Ambroſio qui Theodoſio templi fores clauſit, & ſacris interdixit. Minatur ergo deus ſe iudices ſcelerũ vindices ablaturum, tum demum principes fortitudine animi & viribus quondam valentes, de quibus maximam ſpem concipere poterant in hoſtibus procul arcendis à patria. Si prope rempublicam noſtrã Gallicam miſeré labantem aſpexerimus,

hunc

hũc ordinem ſeruari cognoſcemus. Olim ſtudioſiores, & doctiores ad magiſtratum cooptabantur, quouſque omnia inter nos eſſent venalia; modò verò cùm omnia pecuniæ obediant, laruatos ſæpe magiſtratus habemus, qui non auderent nobilium & primorum tyrannidem reprimere. Hinc tot bella; tot ſeditiones, tot tumultus, ac ſontium cædes. Sed hæc miſſa facientes videamus quidnam Dominus Deus duabus tribubus minetur, poſtquã gentes exteras tãtiis ſuppliciis terruerit. Super trib⁹ ſceleribus &c. Cæteris nationibus quarum prius meminit, legis naturæ, quam mentibus inſitam vnuſquiſque habet, tranſgreſſionem exprobrat, quia adeo crudeliter deſæuierant in alios, quibus feciſſe non debuiſſent id, quod ſibi ipſis fieri noluiſſent. Iudam verò fortiter inſectatur, quòd legem ſcriptam, de qua plurimum gloriabatur, tranſgreſſus fuiſſet. Parum imo nihil iuuat legem & promiſſiones habere, niſi legis factores, & executores nos præſtiterimus. Melius eſt, inquit Apoſtolus, veritatem nõ agnouiſſe, quam poſt agnitam retro abire. Tales interea duæ tribus extitère, qui legem Dei repulerunt, & illius pręcepta nõ cuſtodierunt: hinc decepti ſunt in vanita-

*Tob. 4.*

*2. Pet. 2.*

tibus ſuis, vel deceperunt eos idola ſua, poſt quæ abierant patres eorum in Ægypto, bouis Ægyptiaci ſimulacra fingentes. Non enim potuit priùs fucus eis ab idolis fieri quã legẽ Domini repuliſſent, ac reſpuiſsẽt. Nò tot viri aliàs ſtẽmatibus & ſciẽtia clari in hæreſim tã fœdè lapſi fuiſſent, niſi prius legẽ Domini & trãſgreſſi fuiſſet atq; obtriuiſſent; quũ hæreſis non ſit primũ peccatũ, ſed etiã peccati pœna & ſuppliciũ. Potuiſſẽt enim Iſraelitæ, ad quos vates præcipuè legatus fuerat, floccifacere omnes minas: quas Amos nationibus exteris, & à teſtamento & promiſſionibus alienis interminatus fuerat, quaſi ob infidelitatem ſuam huiuſmodi exitium commeruiſſent, niſi & duas tribus non minora ſupplicia paſſuras in medium etiam attuliſſet. Vult ergo dicere: Nolite, ô Iſraëlitæ, qui à religione auita penitus defeciſtis, vos vana pollicitatione ſeducere, quaſi impune ſitis abituri, quum Dominus non ſit parſurus huic populo qui veterem Dei Cultum in templo Hieroſolimitano hactenus retinuit, etiam ſi aliquid ſuperſtitionis Ægyptiacæ cum eo immiſcuerit. Si correctio
.1. *Pet*.4. incipiat, teſte Petro, in domo Domini, quanta & quam grauia impendent ac imminent ſupplicia hæreticis & infidelibus?

*Mittam*, inquit Dominus, *ignem in Iudam, & deuorabit ædes Hieruſalem.* Ac ſi diceret vates, loci ſanctitas cui vanè fiditis, nihil oberit quo minus diuina ira deſæuiat in tam ſumptuoſas ædes Hieruſalem. Hæc prophetia adimpleta fuit, quando Nabugodonoſor vi cœpit eam, quemadmodum habetur 4. Reg. vltimo & Hier. vltimo. Ego maxime vereor ne hac infelici tempeſtate Chriſtianorum templa adeo fabre facta ob huiuſmodi peccata igne conſumta fuerint. Nam legem Domini repulimus: mandata eius non cuſtodiuimus: Atque in vanitatibus noſtris deluſi fuimus: Deluſerunt nos idola noſtra, id eſt vitia & peccata à quibus faſcinati & occæcati ipſorũ ſerui efficimur. A quo enim quis ſuperatur, huius & ſeruus eſt. Vnuſquiſque colit ac veneratur id quod pluris facit quàm Deum ipſum: quemadmodum auarus pecuniam; is qui gulæ deditus ventrem, & quæ ventri conducunt: laſciuus, venereas voluptates &c. Quod ſi bellorum ciuilium ignem extinguere velimus, talia idola procul à nobis ipſis abigamus atque abſterreamus: legem Domini ex animo amplectamur, & mandata eius ad amuſſim, Chriſti beneficio freti cuſtodiamus, Cui laus honor & *2. Pet. 2.*

gloria, in ſecula ſeculorum.

## Homilia 6.

*HAEC dicit Dominus. Super tribus ſceleribus Iſrael, Et ſuper quatuor non conuertam eum, pro eo quod vendiderit pro argento iuſtum; & pauperem pro calceamentis, qui conterunt ſuper puluerem terræ capita pauperum; & viam humilium declinant. Et filius ac pater eius ierunt ad puellam, vt violarēt nomen ſanctū meum: Et ſuper veſtimentis pignoratis accubuerunt iuxta omne altare: & vinum damnatorum bibebant in domo Dei ſui. Ego autem exterminaui Amorræum à facie eorum: cuius altitudo, cedrorum altitudo eſt, & fortis ipſe quaſi quercus: & contriui fructum eius deſuper, & radices eius ſubter.*

POſtquam vates vicinos populos ad quos præcipue non miſſus fuerat, per tranſennam coarguiſſet, modò Iſraëlitas, id eſt decem tribus, qui a domo Dauidis & communi Eccleſia defecerant, quorum erat propriè legatus, conſtanter aggreditur, hunc ipſum ordinem data opera ſeruans, quum fere omnia quæ ſequuntur ad illos quidem ſibi creditos pertineant. Super tribus &c. Ab eo enim tempore, quo Hieroboam huiuſce nomi-

nis primus Iſraelitarum apoſtatarum rex, ſua perdita ambitione decem tribus ad apoſtaſiam & defectionem ſollicitauit, fieri non potuit, vt Prophetarum concionibus, quę plurimæ & ipſæ graues extiterũt, neque miraculis, quibus Elias & Heliſeus claruerunt, ad meliorem frugem adducerentur, ſed quo longiores progreſſus in illo ſchiſmate & ſecta fecerunt, eo grauius errarunt, quouſque per Aſſyrios in exilium ducerentur, vbi ſuæ falſæ & damnatæ religionis exercitio omnino priuarẽtur. Qui ſemel a veritate cognita deſciuerunt, vix ac ne vix quidem per pœnitentiã renouari poſſunt. Hinc hæreticum poſt primam & ſecundum admonitionem (& non diſputationem, ſicut notat Tertulianus) vitandum docet Apoſtolus, cum ſatis ſuperque notum ſit ac peruium, euerſum eſſe eum qui ſit eiuſmodi, & peccare, vt qui ſuopte iudicio ſit condemnatus. Nam Eccleſiaſticis admonitionibus inſanabilis, præfractè & factiosè perturbat Eccleſiæ pacem. Vtinam abſcinderentur qui Eccleſiæ pacem iam iam conturbant. Talibus quondam nimium indulgens fuerat D. Pater Auguſtinus, quorum peruicaciam propius intuens, coactus eſt palinodiam cantare. *Hebr. 6.* *Gal. 5.*

Huius palinodiæ memores eſſe Gallos oportuerat, nec tam clementer cum hæreticis agere. Si enim quandiu ſecta & factio Antonij permanſit, Romana Reſpublica pacifice degere non potuerit, quanto minus Eccleſia Catholica, niſi hæreſeān fibras radicitus euulſerimus? *Super tribus &c.* Potuiſſet vates Iſraelitis ſuam ipſorum Apoſtaſiam & Idololatriæ impietatem exprobrare, quā Oſeas & cæteri Prophetæ toties inſectati fuerant, ſed maluit apoſtaſię fructus coram ipſis proponere, vt verecundia ducti culpam agnoſcerent, & ad Eccleſiæ vnitatem iam tandem redirēt. Sic nos affari liceat Hugnoſticos: miſſam faciamus quam prætexitis reſtitutam, ſi Deo placet, religionem, & fructus quos ædidit paulò attentius conſideremus. Sicſine reformatio veſtra docet arma ſumenda contra Chriſtianiſſimum Regem veſtrum? Sicſine iubet ciuitates regias fortiſſimis præſidijs munitas ex cuniculis occupare, & Anglis vel alijs regni Gallici perpetuis inimicis tradere, expulſis proprijs incolis? Sicſine perſuadet Chriſti, Eccleſiæ & Regis miniſtros iugulare? &c. Ex huiuſmodi fructibus colligere quis poſſet quā facillimè qualis ſit arbor. Omittamus

nunc ergo qualem de religione habeatis opinionem & opera veſtra penitus attendamus. Vendidiſtis pecunia numerata iuſtũ. Inter vos in Eccleſia veſtra noua cõtra Dei legẽ, quę habetur Deu.24. impune viuere ſinitis plagiarios, latrones & prædones, qui inſontes, & nihil tale meritos extraneis gentibus accepto pretio vendant, vel ab ipſis pro redemptione extorqueant. In hæreticorum caſtris, vbi manere, ait Tertulianus, promereri eſt, tales facile admittuntur. Venditio quoque pro circumuentione accipi ſolet. Vult ergo Propheta: Falſi prophetæ & reprobi principes populum mira calliditate circumuenerunt, vt Hieroboam filius Nabath cum ſuis extraordinatiis miniſtris. Nam popellum contra Roboam ob dura reſponſa indignatum deluſit, pollicitus illum leuare oneribus, atque tali prætextu religionem mutauit. Condeus & Collineus eadem circumuentione vſi ſunt. Erant etiam fœneratores in illo nouo imperio; qui falſis artibus in fraudem illiciebant iuſtos & pauperes, & oppigneratos obæratoſque in ſeruitutem redigebant. Lex interim docebat, ſi pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum

*3. Reg. 12.*

*Exod. 22.*

*Deut.23.* quaſi exactor, nec vſuris oprimes: Non fœnerabis fratri tuo ad vſuram pecuniã, nec fruges nec quamlibet aliam rem. Sunt qui per iuſtum intelligunt, habentem iuſtam cauſam in iudicio, quem iudices iuſta cauſa excidere faciebant. Adeo pauperes contemnebant, vt par calceorum pluris facerent. Et ideo *conterebant ſuper puluerem terræ capita eorum*: *Ils leur mettoient le pied ſur la gorge*: pedibus eos conculcabant. Iuſtum & pauperem, id eſt ſimplicem Domini populum, ipſorum ſuperſtitioni nolentem acquieſcere, affligebant & trucidabant. *Ils les vouloient faire croire à force.*

Solent enim hæretici, quos ſemel ſuis monſtroſis opinionibus faſcinarunt, grauiter affligere, percellereque niſi eas mordicus retineant. Auguſtinus ſciſcitabatur *Epiſt.* ab aliquo ad Eccleſiam Catholicam reuerſo, quare tandiu cunctatus fuiſſet, qui reſpondit hæreticorum minas timuiſſe. A pluribus certe accepi cum quibus ſermones ſerere mihi contigit, ſibi nihil poſſe optabilius accidere, quàm regem ipſos edicto compellere, vt à ſociis qui eos importune ſollicitant, facilius diuellerentur. Hebræus habet pro conterunt *ha ſcaphim*, הַשֹּׁאֲפִים quod ſignificat etiam abſorbentes, ſeu

attrahentes ſpiritum, anhelantes; tranſumitur pro appetere, & quaſi anhelo ſpiritu concupiſcere, & deinde cum voluptate quaſi anhelanter aſpicere. Sept. habent ἐκονδύλιζον εἰς κεφαλὰς πτωχῶν, pugno percutiebant capita pauperum. Pauperum occurſum, quaſi malum omen auerſabantur; hinc viam humilium declinabant, id eſt actus, opera, & conuictum pauperum ac ſimplicium in populo: dedignabãtur cum illis verſari, ſublimius de ſe ſentientes. Ob conditionem humilium, non eſt in illis profecto Chriſtus ſpernendus.

Vt autem vates oſtenderet ſchiſma & hæreſim omnium malorum ſentinam ſecum afferre, ſubdit filium & patrem eius ad eandem puellam (ô flagitium deteſtandum) introiſſe, quod lex vetat. Turpitudinem patris tui non reuelabis, & turpitudinem nurus tuæ non diſcooperies. Ruben qui patris ſui Iacobi cubile polluit cum Bala concubina, à patre fuit prærogatiua primogenitorum priuatus. Paulus Corinthio Eccleſia & ſacris interdixit, qui cum nouerca rem habuerat. Sectæ fere omnes quæ ab Eccleſia Catholica deſciuerunt, ſtupris nefandiſſimis ſeſe polluerunt, vt de Nicolaitis, Adamitis, Valdenſibus, &

*Leui. 18.*
*Gen. 35.*
*Gen. 49.*
*1. Cor. 5.*

aliis noſtræ tempeſtatis hæreticis qui ſe iactant Valdenſibus vel Pauperibus de Lugduno ſucceſſiſſe. Parentum fuerat liberos docere caſtos mores, ſed pater fornicatur, & filius ſcortatur. Pater adulteriũ cõmittit, filius verò inceſtũ: Et, vt breuiter dicã, Pater & filius cum vna & eadem puella, proh nefas! congrediuntur. Quo facinore Dei nomen apud exteras nationes male audiebat. Sic in priori Eccleſia Christiani accuſabantur promiſcui concubitus ab infidelibus, propter nefanda hæreticorum ſcelera, vt modo Catholici apud Turcas male audiunt ob Hugnoſticorum nefaria crimina. Vt autem Iſraelitæ apoſtatæ ſuam velarent obnuberentque turpitudinem aliquo religionis prætextu, in fanis idolorum ſacrificia offerebant, & ibi conuiuebatur, ſed luxuriç, commeſſationi & ebrietati vacabant. Afferebant veſtimenta, id eſt ſubſtantiam, quam acceperant vt pignora, ab iis quos oppreſſerant. Et vinum non ſuum bibebant, ſed eorum quos iniuſte damnauerant. Magna inſtituunt & peragunt ſacrificia & conuiuia, non è bonis iuſto labore partis aut relictis, ſed è rapinis & pignoribus pauperum. Si ſacrificiorum apparatum & conuiuiorum ſupellectilem

attente conſideraueris, vt παραπετάσματα id
eſt velamina & cætera huiuſmodi, non
ſunt niſi pauperum pignora & vi oppreſ-
ſorum opes. Lex interim iubebat vt pi- *Deut. 24.*
gnus pauperi ante Solis occaſum reddere-
tur, non autem offerretur. Videant Chri-
ſtiani qui ξενοδόχια, ſcholas & anniuerſaria
inſtituunt, ne ex diuitiis fœnore, rapinis &
calumnia acquiſitis illa dotent, collocuple-
tentque, quandoquidem eis in iudicium
& condemnationem cederet. Poſtquam
vitia nomine Iſraëlitarum indigna in me-
dium attuliſſet vates, beneficia aliquot in
eos collata enumerat, vt in cor redirent. *Num. 21.*
*Ego autem exterminaui Amorreum à facie eo-* *Deut. 2.*
*rum, cuius altitudo cedrorum, altitudo eius &* *Ioſ. 10.* *Iud. 11.*
*fortis ipſe quaſi quercus, & contriui fructum* *& Pſal. 134.*
*eius deſuper, & radices eius ſubter.* Hij qui
Cananeorum terram explorauerant non
diſſimulauerant huius gentis robur ac vi-
res giganteas. *Num* 13. Per fructus & radi-
ces, patres filioſque intelligit: ac ſi diceret:
Parentes vna cum liberis funditus dele-
uit, vel principes & ſubditos cœleſtes illius
gentis præſides & cuſtodes, R. Selomo in-
terpretatur. Hæc omnia Iſraelitas ad mu-
tua officia & gratiarum actiones inuitare
debuiſſent, ſed cōtra diuinis beneficiis ſa-

ginati in peius ruerunt, & in fœdiora eruperunt ſcelera. Caueamus ne nobis ſanguine Chriſti redemptis & tot diuinis chariſmatibus auctis, ſimile contingat. Ne abutemur Dei donis per Chriſtum nobis ipſis collatis. Ipſi enim ſit honor, & gloria, in ſecula ſeculorum. Amen.

## Homilia 7.

*EGO ſum qui aſcendere vos feci de terra Ægypti, & eduxi vos in deſertum quadraginta annis, vt poßideretis terram Amorrei. Et ſuſcitaui de filiis veſtris in prophetas, & de iuuenibus veſtris in Nazareos. Nunquid non ita eſt, filij Iſrael, ait Dominus? Et propinabatis Nazareis vinum, & prophetis mandabatis, dicentes, Ne prophetis. Ecce ego ſtridebo ſuper vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno, & peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem ſuam, & robuſtus non ſaluabit animã ſuam, & tenens arcum non ſtabit, & velox pedibus ſuis non ſaluabitur, & aſcenſor equi non ſaluabit animam ſuam, & robuſtus corde inter fortes nudus effugiet in illa die, dicit Dominus.*

QVamquam Iacobus Apoſtolus doceat Dominum Deum dona ſua prolixè cumulatéque largiri, nec exprobrare, ſceleratis tamen & ingratis qui de acce-

ptis gratias minime referunt, ne dum dignas perſoluunt, imo vero Dei Opt. Max. beneficiis ſaginati contra ſtimulos calcitrant, ingrati cogitur inſimulare, vt gratiores facti Deum liberaliſſimum Mœcenatem agnoſcant, & ad mutuum officium charitatiſque exercitia incitentur. Portenti enim inſtar eſt Dei beneficentiam non agnoſcere, quam non in dies ſolum ſed etiam in ſingulas horas experiri conſtat. Gratitudo ipſa lege naturæ commendatur. Animalia ipſa rationis expertia agnoſcunt dominos ſuos, quin ipſa terra ſi optimé colatur, fructum reddit abundantiorem. Ixionis ingrati animi labes a Poëtis etiam arguitur, quem ad inferos deiectum atque detruſum & ibi rotæ deuinctum ob ipſam ingratitudinem differri perpetuo, diſcruciarique ſuis canunt verſibus. Non mirum igitur ſi per vatem Iſraëlitæ ingratitudinis accuſentur. *Ego ſum &c.* Scriptura in recenſendis Dei beneficiis curioſe non ſeruat ordinẽ, ſed frequenter euenit per figuram, quam Græci vocant ὕστερον πρότερον, vt quæ prima facta ſunt, vltimo loco recenſeantur. Prius enim Deus Hebræos de terra Ægypti aſcendere fecerat, quàm Amorreum ſuis propriis ſedibus ex-

pulerit,ſed prius beneficium ſecundo poſt ponit. Præterea corporalia beneficia ſpiritalibus præpônit, vt qui populum rudem, ſtupidum & bardum terrenis inhiantem erudiebat, quemque terrenis & craſſioribus magis affici ſciebat quam iis qui ad ſpiritum attinebant. Nec abs re quoque Amorreorum prius meminiſſe mihi videtur,quippe qui propter nefanda ſcelera ſedibus antiquis pulſi fuerant, quos quidem Iſraelitæ imitati fuerant atque peccando æquauerant ne dicam ſuperarant. Idcirco alius propheta dicebat Amorreum ipſorum patrem eſſe! Volebat ergo vates tacite demonſtrare & ſummam huiuſce populi ingratitudinem,ſimulque breui futuram é terra mel & lac fluente, eiectionem propter peccata quæ Amorreorum ſcelera ſuperabãt:Hæc diligentius intueri nunc nũc operę pretium eſſet,quum in dies perſpiciamus Catholicos ſuis expelli vrbibus ab hæreticis, atque hæreticos viciſſim à Catholicis; agnoſcamus ergo peccata noſtra talia commereri. Mihi venit in mentem dicti vel potius apophtegmatis cuiuſdam Angli ad propria redeuntis, quando Gallorum regi Normania & cæteræ prouinciæ redditę ſunt, Vale inquit ſenex An-

glus quouſque peccata veſtra longè noſtra ſuperarint. Vereor ne tempus iſtud completum fuerit. Pœnitentiam igitur agamus, nec Iſraelitas referamus, quorum ingratitudinem hîc Dominus cõſtanter arguit. *Ego ſum qui aſcendere vos feci &c.* Ac ſi diceret. Me autore è terra Ægypti aſcendiſtis, qui & per deſertum totos quadraginta annos vos deduxi, vt terram Amorrei, gẽtis multo potentiſſimæ, poſſideretis. Iſtud beneficium quaſi cęteris pręſtantius ſępius prophetę inculcant, ſed tamẽ quę ſequuntur longe maiora videntur. *Suſcitaui de filijs veſtris in Prophetas, & de iuuenibus in Nazareos.* Suſcitaui ex filiis veſtris qui prophetarent & vos de obſeruanda lege commone facerent, atque vos quod iuſtum ac æquum eſt, docerent. De iuuenibus item veſtris, qui ipſa natura voluptatis ſtudioſiores ſunt, dedi vobis, qui Nazarei eſſent, moribus per omnia inculpatis & caſtiſſimis. Quid quæſo Eccleſiæ conducibilius accidere poſſet, quàm prophetis ſpiritu Dei afflatis in doctrina pia vera & Catholica erudiri, ac Nazareorum, id eſt piorum & ſanctorum (vel vt LXX. habent ἡγιασμένων hoc eſt ſanctificatorum) probis & ſanctis exemplis, & vitę auſteritate ad temperan-

tiam & modeſtiam hortari? Id autem ad exaggerandum beneficium non minimi facit, quod de filiis eorum ad tantum honorem aliquos eueheret cum gloria
Prou. 15. patrum ſit filios habere ſapientes: miſi ad vos prophetas non aduenas, ſed indigenos & gentilios. Adhęc multo magis erga
Ion. 1. patriam afficimur quam erga extraneos, vt de Iona conſtat, qui fugam capeſſebat ne ad Niniuitas exteros, ſuis relictis iret concionatum. Nazarei (de quorum inſtitutione habetur *Num.6.*) propria quadam viuendi regula a cęteris vulgi ſeparati, apud Iudęos quaſi monachi Domino ſanctificati habebantur. Monachi enim non dicuntur ab eo, quòd debeant ſoli viuere, ſed qui vnum efficiuntur cum Deo, vt tradit Areopagita. Tantum vero abfuit, vt Iſraelitæ hæretici & apoſtatæ horum vitæ ſanctitatem auſteritatemque imitarentur, quin illos ad ingluuiem & ebrietatem, vt pote vinum contra ſuæ regulæ præſcriptum biberent, ſollicitarunt. Nonne vinum, dicet aliquis, creatura Domini Dei
1.Timo.4. eſt? nonne ſanctificatur per verbum Dei & orationem? nonne Dominus præcepit
Prou.31. dare ſiceram mœrentibus & vinum iis qui amaro ſunt corde? Cur igitur vitio

vertit

vertit Iſraelitis, qui Nazareis vinum propinarunt? Quia contra verbum Dei dicentis, vouete & reddite vota veſtra Domino. Apud Eſaiam votum reponitur inter Chriſtianorum officia, quos Ægyptiorum nomine vult intelligi. Solomon quoque dicit pernicioſam eſſe violationem voti; ipſeque Moſes exigenda ab ipſo Deo vota teſtatur. Paulus non ſemel voluit in Actis Apoſtolicis. Tolė votũ (quod eſt promiſſio legitima rei bonæ facta Deo) Dei verbo conforme, & tunc liberum erit vino parce & modeſte vti.

*Pſal.75.* *Eſa.19.* *Ecleſ.5.* *Num. 30.* *Act.18. & 21.*

Quare pomi vſus Adamo veneficus & mortalis extiterit, niſi quia Dominus prohibuerat? Sic monachi omnes libere carnibus veſci poſſent, niſi illam abſtinētiam Nazareorum inſtar Domino vouiſſent. Sed vt vnde digreſſa eſt oratio redeat, Eccleſia his poſtremis temporibus, neque prophetis, id eſt interpretibus, ijſque doctiſſimis, neque ſanctis ac pijs monachis deſtituta fuit: Sed interpretibus ac doctoribus noſtris hæretici apoſtatæ prohibebant, ne Catholicė & orthodoxė docerent: quod ſi paulo vehementius contingebat hæreſim carpere, ſeditionis ſtatim arguebantur: Monachis non ſolum vinum

propinarunt, quo parcè vti in monaſterio licebat,ſed etiã mulieres, Baalam pſeudoprophetæ peſſimum exemplum ſequuti, illis obtulerunt, quibus, contra præſcriptam omnium monachorum normam, ſub matrimonij prætextu impune, in totius Chriſtianiſſimi diſpendium & ſcandalum, abuterentur. Inceſtus iſtos nefandiſſimos monachorum excuſare conantur, quia continentia donum Dei ſit, atque hominum vires longè ſuperet. Quæ quidem omnia ingenuè fatemur,ſed interea nihil obeſt quo minus viduæ in Eccleſię miniſterium aſcitæ,continentię votum conceperint, quarum aliquas primam fidem irritam facientes, ſeuere increpat Apoſtolus. Vellem legiſſent & alta mente repoſuiſſent Iouiniani Imperatoris piiſſimi edictum in ſacrilegos, qui effieni licentia & nimia indulgentia Iuliani Apoſtatæ, cui Iouinianus in imperium ſucceſſerat, moniales ex ipſorum monaſterijs vi extraxiſſent, & eis contra vitæ monaſticæ inſtitutum abuſi fuiſſent. Ego ſatis mirari non poſſum quorundam votifragorum monachorum impudentiam, qui coram fideli Gallorũ Senatu auſi ſunt ſanctimonialium dotem contra fas iuſque omne

*Apocal. 2.* *Num. 25.* *1. Tim. 5.*

petere. Verum hæc impunè non ferent, ſicuti nec Iſraelitæ, quos Dominus per vatem ita alloquitur, *Ecce ſtridebo ſubter vos ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno*, id eſt; Ecce ego vos veſtro in loco coarctam atque conſtringam, quemadmodum coarctatur atque conſtringitur plauſtrum aliquot frumenti manipulis refertum. Hoc enim vento concuſſum, ſtridet altum, atque ingemit. Ego efficiam vt arcte & impedite ingrediamini, ac ingruentibus malis, non poſſitis effugere. Sicut coarctatùr, hoc eſt impedite progreditur plauſtrum onuſtum fœno. Ita & vobis ſumma impendet calamitas & anguſtia: vnde ijs qui expediti atque agili erũt corpore, nullum patebit effugium. Neque fortem quicquam iuuerit ſua fortitudo. Vnde & de robuſtiſſimorum quoque vita actum erit. Sagittarium non deffendet arcus aut telum, vel ſagittarij non ſubſiſtent; & qui pedibus valent, non poterunt euadere. Equiti non auxiliabitur equi velocitas, & vt breuiter dicam, qui inter fortes animo infractiore fuerit, is tunc temporis, tanta futura eſt impietatis afflictio, vt vel nudus ſtudeat auffugere. Nulla ſane dona corporalia nobis proſunt, teſte etiam Hieremia dicen- *Hierem. 9.*

te, Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, cum ad iudicium Domini ventum fuerit. Videant igitur vt qui Dei donis ſunt exornatiores ac excultiores aliis ne in ipſis ſpem collocẽt; ſed in Domino Deo, cui laus, honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

## Homilia 8.

*AVDITE verbum hoc, quod locutus eſt Dominus ſuper vos, filij Iſrael: ſuper omnem cognationem quam eduxi de terra AEgypti, dicens: Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ: Idcirco viſitabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras. Nunquid ambulabunt duo pariter niſi conuenerit eis?*

POSTQVAM ſuis ſuperioribus concionibus vates multum laborans ſudauit & alſit, in manu Dei vindice demonſtranda aduerſus ſceleratos, & maxime impios Iſraelitas præfractos, in ſuoque ſchiſmate ac hæreſi obduratos, ad quos præcipuè fuerat miniſter delegatus, nunc vero in iſta ſectione, flagella æquiſſima, meritiſſimam & maxime debitam ipſorum futuram deuaſtationem ob ſummam eorum

ingratitudinem, mira dexteritate & efficacia prænunciat: idque argumento à conſenſu ſpiritus in prophetis petito, comprôbat, & aliquot prouerbialibus locutionibus inculcat. Quamuis enim oleum & operam, ſuis prioribus concionibus & exhortationibus, perdidiſſet, non ſe tamen ſuo miniſterio ſtatim abdicat, neque in ſuam patriam, deſpondens animum, continuo remeat, ſed fortiſſime, quod nõ ſatis felicibus auſpiciis inceperat, proſequitur, certo ſciens labores quos aſſumebat, apud Deum ſaltem haud perituros. Ad hæc vbique aliqui inter impios reperiuntur, qui verbo Dei obediunt, eoque in fide & diuinis promiſſis confirmantur, ac meliores euadunt. Id ſane Paulus Apoſtolus Corinthi expertus eſt, a qua diſcedere tentabat, quod ibi nihil profuiſſe prędicatione verbi videretur, niſi in ſomnis fuiſſet admonitus adhuc plures eſſe ſuo miniſterio ad veritatis cognitionem adducendos. Ne igitur doctor ac Eccleſiaſtes ceſſet ſuo fungi miniſterio, etiam ſi paucos caſtigatos & emendatos ſentiat. Nam & ſuã ſaltem liberabit exonerabitque conſcientiam, & præfractis vniuerſa excuſationis anſa tolletur, vt & iſtis, quos ſic vates allo- *Act.18.*

quitur: Audite igitur hanc, quam in vos Dominus tulit, ſententiam filij Iſrael. Iſraelitas quos in crimen vocat & præcipue reos facit, attentos eſſe vult eoſdemque ad orationis ſuæ veritatem probandam teſtes atque iudices aduocat.

Tãta fuit horum apoſtatarum ſuperbia ac ſecuritas, vt prophetæ neceſſe fuerit, his verbis, quæ ſuam vocationem aſſerunt & tuentur, autoritatem ſibi & ſuæ doctrinæ conciliare. Audite non alicuius oppilionis & pecuarij ſomnia, ſed Domini accuſatoris ſermonem, quem contra vos ipſe pronunciat. Suſtineo enim Dei accuſantis in agendo perſonam. Solent enim huius ſeculi homines miniſtrorum Catholicorum doctrinam contemptui habere, quia ij qui eam ex ſuggeſtu proponunt, ſunt vel ex fæce plebis, aut pauperrimi MONACHI: cum noſſe debuiſſent Deum ipſis veluti inſtrumentis electis vti, & qui
Luc.10. eos ſpernunt, Deum in ipſis loquentem ſpernere. Sententia iſta, in totam Iſraelis
מִשְׁפָּחָה familiam ſeu nationem (vt *Miſpahhah* ſignificat) quam à terra Ægypti, vbi miſere infandumque opprimebatur, cum ſignis
Rom. 2. & portẽtis fortiter eduxerat, lata eſt. Quaſi diceret. Ne vobis ob circunciſionem,

quam in preputium vertiſtis, amplius blandiamini: Nolite vos iactare populum eſſe electum, ſanctũ Abrahæ genus, gẽtem mirabiliter redemptam: Nam contra totam gentem & omnes familias, quas ſola motus miſericordia, ex Ægypto liberaui, hanc ſententiam, vt ęquiſſimus iudex profero: Verbum Dei ad omnes ex æquo pertinet, tum quia ipſo peccata arguantur, tum quia eodem afflictis & mœſtis conſcientijs conſolatio maxima proponatur. Sunt qui ad decem tribus iſta duntaxat referũnt, quæ ſe cõtra duas, ob ſuam multitudinem, hęretica temeritate & audacia efferebant, quaſi omnes promiſſiones ſanctis patribus factæ ad ipſas ſolas pertinerent. His ergo vates per conceſſionem tribuit, quod ipſi Iſraelitæ iactabant, nihilominus inquit, ſeueriter Deus in omnem gentem & familiam veſtram animaduertet. Vobis in mentem venire debuerat, quod ex omnibus terræ cognationibus, ſolos vos agnoui, id eſt eligere dignatus ſum. Ex omnibus terræ nationibus vos tantum gratos habui, & in populum mihi peculiarem delegi, quibus mea oracula committerem, qui populus meus diceremini, & quos ſingulari meo ſtudio proſequerer, ac beneficijs doniſque exornarem,

*Ioan. 8.*

*Deuter. 7.*

Quoniam vero hæc omnia ſurda aure transiniſiſtis, idcirco grauiores etiam ſuper omnibus iniquitatibus veſtris, de vobis pœnas ſumpturus ſum. Poſſet hoc hemiſtichium, *Vos duntaxat agnoui ex omnibus terræ cognationibus*, quibuſdam ſcrupulum inijcere, quaſi Deus eſſet Iſraelitarum dũtaxat Deus, & non aliarum gentium; quibus fiet ſatis, ſi verbi agnoſcendi vſum in ſcripturis paſſim occurrentem, paulo attentius inſpexerint. Sumitur quam frequentiſſime pro rationem habere, curare, prouidere, & acceptum habere: vt, Nouit
*Pſal. 1.* Deus viam iuſtorum. Et, Quid eſt homo quod agnoſcas eum? Et Moſem, Noui te
*Exod. 33.* de nomine, & id genus alia. Noſſe ergo Dei, non tantum ſignificat notitiam, ſed etiam affectum miſericordiæ & effectum, id eſt, rerum bonarum largitionem. Sic Mat. 6. Nouit Dominus quibus opus habeatis, hoc eſt curam veſtri agit, promptus eſt ad largiendum, cumulat vos beneficijs. Quod ſi diuina prouidentia & cura vſque ad auiculas, nedum ad humanum genus ſeſe extendat, patriſque officio erga omnes homines Dominus Deus fungatur, quantum ad vitæ ſubſidia, non tamen fecit taliter omni nationi, quia

hunc populum à reliquis gentibus ſeparauit, & illum elegit in peculiarem & proprium populum, vt ſibi propriæ familiæ inſtar eſſet. Hęc omnia iſtius populi ingratitudinem ſumme exaggerant. Quemadmodũ ſi populo Chriſtiano diceret Deus, Plus omnibus aliis populis, ipſis etiam Iudæis vos ſum amore complexus, atque maioribus beneficiis vos auxi, quippe qui ex infidelibus & a cognitione mea penitus alienis, prognati, abſq, Chriſto, extorres à Republica Iſraelis, extranei a pactis & promiſſionibus filiorum loco adoptati eſtis: *Viſitabo ergo iniquitates veſtras.* Viſitationem autẽ hoc in loco, idem quod Latinis animaduerſionem eſſe dicimus. Sed qualis illatio, dicet aliquis? Optima ſane. Nam ſeruus ſciens voluntatem Domini & non faciens pluris vapulabit, quam qui neſcit nec facit. Quo enim Dei dona ampliora ſunt, eo magis ipſe eorum abuſum vlciſcitur ac perſequitur. Potentes potenter tormenta patientur. A ſanctis meis incipite, dicit Dominus apud Ezechielem. Et iudicium Dei de domo eius dicitur habere principium. Quem diligit Dominus corripit, & caſtigat omnem filium, quem recipit. Quemadmodum enim rex magis

*Eph.2.*

*Luc. 12.*

*Sap. 6.*

*Ezech. 9.*

*Heb. 12.*

iraſci & ſuccenſere ſolet ſuis aulicis, qui cũ ipſo familiariter verſantur, & ipſius volũtatẽ intelligunt, ſi quid aduerſus maieſtatẽ regiam commiſerũt quàm iis, quibus non ita familiariter vtitur: ſic Deus eos viſitaturum minatur, quibus ſatis ſuperque voluntatem ſuam per legem & prophetas manifeſtauerat. Quemadmodum enim in hoc populo præ cæteris ornando, beneficentiſſimum ſe Deus exhibuerat: ſic repetendo ab eis officio, æquiſſimum iudicem acerrimumque ſeſe præbebit exactorem. Ad hæc Dominus Deus ſic cum Iſraeliticis olim pepigerat: Si audieris vocem Dei tui, eris benedictus: Si non audieris, eris maledictus. Satius ergo eſſet, reſpondebit quiſpiam, gentiliſmum & infidelitatem profiteri. Diuus Apoſtolus tibi occurrit; Qui ſine lege peccauerunt, ſine lege quoque peribunt. Viſitat interea ſuorum etiam culpas, quos non vult cum iniquo perire mundo. Hęc phraſis paſſim occurrit: Deus enim viſitare dicitur, cũ pœnas infligit, quæ tamen viſitatio quandam correctionẽ paternam importat, quia Dei plaga, viſitatio eſt atque curatio. Cum medici ſuos viſitant infirmos, in hanc toti incumbunt curam, vt & illi conualeſcant, quibus, ſi curationibus leuioribus mini-

*Exod. 19. Deu. 7. & 28.*

*Rom. 2.*

mé proſunt; acerbiora admouent remedia, vt ſæpius ferrum & ignem. Sic ſe erga nos Dominus Deus habet, quum ſuper nos iniquitates omnes noſtras viſitat. Nã hiis viſitationibus, etiã ſi ferrum & ignẽ, obſcurationis difficultatem aliquando cogatur apponere, ipſi tamen ſemper curæ eſt vt ſanet. Propterea quum ſuis nos flagellis caſtigat, illum nos viſitare dicimus. Huius enim viſitationis ſeu animaduerſionis ſuper vtrũque regnũ faciendæ cauſam Deus vatis noſtri miniſterio paucis aſſignat, videlicet, quia prophetas aſpernabantur, quorum tantus fuit inter eos & cum ipſo Deo conſenſus, vt cognitu facilè fuerit ipſos ſpiritu diuino afflatos fuiſſe. Quod enim apud Iſraelitas Amos, id idẽ Micheas & Hoſias, & ad duarum tribuũ (quæ ſceleris ſociæ tandem extiterant) regnum, Iſaias futurum prænunciabant. Id pulchra ſimilitudine propoſita demonſtrat. *Nunquid ambulabunt duo pariter niſi conuenerit eis?* quaſi diceret, vt res magis ac magis clara ac illuſtris euadat, agite quibuſdam ſimilibus & ad rem maxime accommodatis vobis explanem. Num iter facient duo ſimul, niſi ita pacti inter eos conuenerit, & eodem ſtudio vterque te-

neatur? Fere fieri non ſolet, vt duo homines fortuito concurrant ad idem iter ſuſcipiendum aliquò, ob aliquot negotium, ni prius de eo inter illos conuentum fuerit, & tempus itineris capeſcendi ſibi inuicem condixerint ac locum præſcripſerint. Nam alioqui ſi in itinere ſibi occurrerint, alter alteri non fidet, quum nihil magis homines in itinere aut aliquo negotio ſociet, quàm ſtudiorum & animorum ſimilitudo. Sicuti ergo haud temere pariter ambulant duo homines & longum iter vna conficiunt, ni ante in illud conſenſerint: ſic haud quaquam credendum prophetas aliquid prædicere niſi à Deo acceperint, & illis prius cum Deo conuenerit, vt hoc aut illud prænunciarēt. Nunquam enim caſu fortuito aut de ſuo corde quicquam dicerent non acceptum à Domino. Vult igitur prophetas qui non diſſident cum Deo, neque ſecum diſcordant, nil ex mente ſua aut cerebro comminiſci. Pſeudoprophetæ vero & hæretici, qui a mendacio contra veritatem ſtant, neque cum Dei verbo, neque inter ſeſe congruunt. Scribit enim Villaganeus Eques Rhodēſis duodecim Caluini Miniſtros, quos ſecum in Franciam Antarcticam duxerat,

diuerſas prorſus ſententias de Cœna protuliſſe, cum ab illis ſciſcitaretur quidnam de ipſa ſentirēt. Dominus ſanctus Ebroicenſis Epiſcopus pietate & literis clarus, quinque diuerſas interpretationes δὶς διὰ πασῶν inter ſe diſtantes huius axiomatis, Hoc eſt corpus meum, à Sacramentariis contra veritatem commentas ac confictas veriſſime citat. Hæreticorum diſcipuli, vt Tertullianus author eſt, & ipſa docet experientia, à ſuis magiſtris vtique diſſident; Eccleſię vero Catholicæ paſtores ſemper & vbique locorum conſentiunt in hiis quæ ſunt fidei. Non abs re igitur eorum conſenſum, vel potius archanam Spiritus ſancti conſenſionem, iis qui defecerunt à ſancta communione, opponimus. Nam quomodo fieri poſſet, vt Eccleſiæ doctores, qui diuerſis temporibus & locis floruêre, vnam & eandem rem docuiſſent & ſcripſiſſent, niſi ſpiritu diuino, qui diuiſionem non admittit, acti fuiſſent? His igitur ipſis fidem adhibemus, non autem pſeudominiſtris, qui nouitatis, diuiſionis & vertiginis ſpiritu ducti, nunquam idem ſentiunt. Conſentiamus igitur ac concinamus vna & mente & voce de fide in eum qui medium parietem maceriæ deſtruēs, Eſa. 19. Epheſ. 2.

vtraque in ſeipſo & inter ſe & cum Deo copulat atque coaptat. Cui laus, honor,& gloria,in ſecula ſeculorum. Amen.

## Homilia 9.

*NVNQVID rugit leo in ſaltu, & non habebit prædam? Nunquid dabit catulus leonis vocẽ de cubili ſuo, niſi aliquid apprehenderit? Nunquid cadet auis in terra abſque aucupe? Nunquid auferetur laqueus de terra antequam quid cœperit? Si erit malum in Ciuitate quod Dominus non fecerit? Quia non faciet Dominus Deus verbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos prophetas. Leo rugit, quis non timebit? Dominus Deus locutus eſt, quis non prophetabit?*

*Act. 7.* DVræ ceruicis & incircunciſi cordis populus, à veteri religione & auita pietate deficiens, prophetarum ſacram conſonantiam, conſenſum ac conuenientiam flocci faciebat, exiſtimans diuini numinis minas, vana eſſe dũtaxat puerorum ſimpliciſque ruſticitatis terricula, atque ipſos prophetas inani verborum ſonitu tantum aërem verberare; quaſi eis non fuiſſet à Deo clamandi neceſſitas impoſita, ob iſtius apoſtatæ gentis

ſcelera, quæ longe omnium exterarum gentium ſuperſtitiones impietateſque ſuperauerat. Siccine imprudens & ſtulta mundi prudẽtia de verbo Dei, miniſterio prophetarum doctorumque orthodoxè prædicato iudicare ſibi arrogat? At ſentient tandem aliquando, vt vt ſtupidi & vecordes modo ſint, Deum non ludere verbis, nec fruſtra neque fortuito prophetas clamaſſe, quod & noſter Amos ſecunda ſimilitudine & ſequentibus è re vulgari paſtoritia, & paſtoribus, vt plurimum petitis, ſcitè admodum probat. *Num leo in ſylua rugire ſolet, quin prædam iam teneat*, aut vicinam habeat, quam ſtatim vbi voluerit, poſſit arripere? *Num vocem ſuam emitet leunculus è luſtro ſuo, niſi quid apprehenderit?* Scitote vobis paratam pugnam cum leone, quo nullum fortius cuique natura conceſſit in cætera animantia principatum. Dominus vt leo eſt, qui de Sione monte ſancto, id eſt Eccleſia per prophetas, paſtores & doctores opportune & importunè rugit, tum aduerſus Iſraelitas, tum aduerſus omnes ſceleratos formidabilia ſua iudicia, & manum horrendam prænuntiat, ſi peccare pergant. Quemadmodum ergo non ſine cauſa rugit leo nimirum

*Ezech. 5.*

niſi prædam habeat, aut iam apud ſe, aut paratam & in propinquo quam corripiat: Sic Dominus Deus non ſine cauſa per prophetas comminatur, ſed eſt aliquid, quod eum huc impellat, præda ſcilicet parata, id eſt populorum peccata, quæ ſtatim ſit puniturus, niſi maturè reſipuerint. Quaſi diceret, Si nec leo iam grandior & prouectior, nec leunculus maior catulo, fruſtra rugiunt, num fruſtranea eſſet vox Domini per os prophetarum ſuorum rugientis? Vt autem leonis rugitus certiſſimum argumentum atque indicium eſt aut capiendæ aut captæ prædæ, ſic Dei vox futuræ cladis & exitij quæ vobis imminent. Hoc ſimili facilè percipimus quantæ virtutis & energiæ ſit ſermo Dei, quem niſi lubenter audiuerimus, & au-
1. Pet. 5. diendo reſipuerimus, futurum eſt vt leoni rugienti & quęrenti quem deuoret, præda ſimus. Prophetarum miniſterium rectè leonis rugitui comparatur, & præcipue cum per eos Dominus palam & aperte ſe iratum oſtendit. Cum igitur tanta dicendi libertate, ſepoſito omni timore, rugientes & clamitantes Eccleſiaſtas audimus, nobis caueamus, nec in peccatis noſtris ſecuri ſtertamus, vt & Iſraelitæ, quos etiam tertio ſimili,

tio ſimili, eodem fere pertinente vates ſic exhortatur: *Num cadere ſolet auis in laqueum humi tenſum, vti ipſi aui offendiculum, rete aut tendicula non eſt*? id eſt niſi irretiatur & illaqueetur? *Num laqueus tolletur* a prudente ſcilicet aucupe, ſoluetur inquam & abrumpetur, *Si nihil prorſus cœperit*? Quaſi diceret, quemadmodum enim non ſolet auceps retia complicare vel tenſum laqueum auferre, priuſquam aliquid cœperit: Ita Dominus Deus, vbi per prophetas aliquid minatus fuerit, vt pote peſtem, famem, bellum vel alia flagella, non prius illa retrahet, quàm eos perdiderit aut punierit, quos ipſe volebat, vt non ſubducitur laqueus, neque conuoluitur è terra collectum rete, (vel vt docte L X X. habent χαλάσεται ſoluetur vel abrumpetur) niſi aue capta. Iam a multis annis bellis ciuilibus illaqueati ſumus, Deus non ſoluet neque abrumpet retia & laqueos, niſi reſipuerimus. Aucupes venatoreſque nec fruſtra ac ſine cauſa tendunt ſua retia, & vos exiſtimabitis Dominum prædicationis ſuæ laqueos atque impendentis calamitatis retia fruſtra tetendiſſe? Et ſi aliqui ſint, qui Fortunæ rerum euentus aſcribant, quaſi cæco impetu ipſa in omnes res dominare-

tur, vates tamen hac ſimilitudine luce clarius oſtendit, vt retia non ſeſe fortuito contexunt, neque aues ſine aucupis induſtria capiuntur: ſic omnia illa flagella, Dei nutu & voluntate Iſraelitas manere. Quemadmodum aucupes patienter ferunt famem, ſitim, temporiſque iniuriam vt aliquid capiant, nec in vanum laboraſſe volunt; ita Deus non fruſtra ſpargit minas, nec colliget retia donec executus fuerit, quæ per prophetas minatus eſt. Verbum ſuum ſimul cum effectu coniunctum eſt; quod & ſequenti ſimilitudine clarum fiet. An citra populi pauorem in ciuitate tam felici tamque ſecurè agenti claſſicum canetur importuno tempore, ita vt qui audierint non moueantur, timeant, perturbentur, rebuſque ſuis publice & priuate proſpiciendum putent? Cum enim tempore belli conſtitutus ſpeculator in altiſſimo loco vt aduentum hoſtium proſpiciat, buccina clangit, & militare ſignum tuba canit, quis non moueatur & expaueſcat, niſi prorſus amens & ſtupidus fuerit. Vox Dei per prophetas emiſſa, plus reuerentię, timoris & tremoris meretur, quam tubæ ſonus, quo claſſicum canitur. Cur ergo commoti & tremefacti ſuperſtitionem

veſtram non deſeritis & veterem patrum religionem æquis animis non amplectimini? Prophetæ ſpeculatores agunt, qui in tempore populum de impendentibus ei pœnis præmonent, quo tremefacti vitam emendent, & ſic iudicium & iram Dei effugiant. Prophetas ſpeculatores agere docet Ezechiel, quorum culpa & negligen- *Ezech.3.4.*
tia ſi quis è populo ſibi commiſſo perierit, *& 33.*
exitium illius imputatur eis: quod ſi vero præmonuerint, culpa eius eſt qui periit. Omnes Eccleſiæ paſtores veluti ſpeculatores ſunt: hinc & Græcis Ἐπίσκοποι dicti ſunt. Illi igitur inſtar tubæ vocem exaltent & populum excitent. Quod ſi ſurdis canant perdantque oleum & operã: innocẽtes interim erunt a ſanguine pereuntium. Paſtorum ac doctorum Eccleſiæ Catholicæ voces aſſiduæ & importunæ futura mala, euentuſque nefaſtos prædicentes, paſſim audiuntur, & tamen nemo ſibi timendum ducit. Sed de his ſatis. Nunc vero quonam omnes hæ ſimilitudines ſpectent, paucis aperiamus. Eò nimirum vt populum ſtolidum & bardum docerent omnia ea flagella, quæ præcauenda nuntiarent prophetæ à Deo immitti. *An mali* *Amos.3.*
*quicquam in ciuitate acciderit*, id eſt vlla pu-

blica calamitas, *quod non faciat Dominus*, & ab ipſo immittatur? Non eſt quod prophetas accuſetis, quaſi ſeditionis & tumultuum autores eſſent, & populos ad defectionem ſollicitarent. Deus is ipſe eſt, qui
*Iſa.* 45. vt facit pacem, ita & malum paci contrarium, vt bellum eſt, condit; quem tamen
*Ezech.* 18. aliquando pœnitet mali quod ſe facturum comminatus fuerat, ſi reſipiſcentiam &
*Ion.* 3. pœnitentiam animaduerterit, vt in Niniuitis clarum ac manifeſtum fuit. Locus iſte neque Marcionis neque Manicheorum, neque etiam Caluini fauet erroribus, quandoquidem ex præcedentibus & ſequentibus facile ſit iudicare vatem loqui non de malo, vt virtuti opponitur & aduerſatur, ſed vt afflictionem & cruciatum importat: quam etiam loquẽdi phraſim apud D. Matheum reperimus, cum Chriſtus docebat ſuos non nimium de
*Math.* 6. craſtino fore ſollicitos, quod vnicuique diei malitia ſua ſufficeret, hoc eſt afflictio, labor improbus, ęrumnæ, tribulatio & anguſtia. Duplicem ergo mali ſpeciem aſſerere neceſſe eſt, pœnæ & culpæ: vel ſi mauis cum Tertulliano vetuſtiſſimo Theologo loqui, delicti & ſupplicii: vel cum Ruperto, iniquitatis & afflictionis. Ma-

lum damni iterum ſubdiuidunt in publicum & priuatum. Publicum (quod malum ciuitatis vel in ciuitate factum dicit) à Deo ſemper immittitur, ſceleris expiandi cauſa? priuatum vero non ſemper propter ſcelus, vt de cæco nato certiores Chriſtus fecit Apoſtolos. Deum igitur mali pœnæ vel ſupplicii publici, id eſt belli, famis, peſtis & huiuſmodi afflictionum autorem eſſe ingenuè quidem cum Scriptura & patribus profitemur: mali vero culpæ, id eſt peccati, delicti, reatus tantum abeſt vt Deum autorem & cauſam eſſe fateamur, vt ab iſta opinione a multis ſeculis damnata, tanquam ab hæreſi peſtilentiſſima, abhorremus. Qui odit iniquitates Iacob, & deteſtatur ſuperbiam Iſrael, quomodo illa patraret? Prohibet & vetat Dominus Deus ſua lege omnia peccata, quomodo igitur illa vellet & conſciſceret? Neque opus eſt vt tam ſubtilius requiramus diſtinctionem inter potentiam & voluntatem Dei, quaſi ipſe malum culpæ ſua potentia operaretur, vt dicunt, non autem voluntate. Deus enim non vtitur ſua poteſtate contra diuinam ſuam voluntatem. Igitur vt huic quęſtioni finem imponamus, Deus neque malum culpæ vult, ne-

*Amoſ. 6.*

que etiam operatur: De ſupplicij afflictionibus & pœnæ malo, nullum eſt in quapiam ciuitate quod non fecerit, & quod non faciat. Deus igitur eſt qui ſuam Eccleſiam tot malis & anguſtiis erudit, caſtigat & affligit, peſſimorum nebulonum opera vſus, quos malè perdet vt quam primum nos caſtigatos & emendatos perſpexerit. Ad prophetã vero redeamus, qui vt probet Deum autorem eſſe publicorum malorum quæ Iſraelitæ experturi erant, neque fortuito illis euenire, neque etiam malo animo, ſubiungit eum nihil quicquam facturum eſſe, niſi ſecretum ſuum ſeruis ſuis prophetis reuelauerit, per quos ad reſipiſcentiam vocentur ſcelerati, & conſolationem accipiant pij & probi. *Secretum diuinum* Amos appellat rerum futurarum cognitionem, quam neque Mathematici neque Magi aſſequi poſſunt, ſed ſoli prophetæ, & ij quibus ſecretum obnuntiant. Noë ſeruo ſuo diuinitus reuelauit quod diluuium eſſet inducturus: Reuelauit Abraamo & Lotho ſeruis ſuis, quod Sodomam & alias ciuitates incendio hauſturus & aſſumpturus eſſet. Reuelauit Ioſepho ſomnij interpretationem, qua famem ſeptem annos duraturam

*Amoſ. 3.* *Amoſ. 3.* *Gen. 6.* *Gen. 18. & 19.* *Gen. 41.*

prænunciauit: Ionæ quoque Niniuæ ſub- *Ion. 3.*
uerſionem,& Agabo famem ſub Claudio *Act. 11.*
futuram, vt qui audirent ventura ſuppli-
cia, aut pœnitentiam agerent,& tormenta
vitarent, aut contemnentes, iuſtius puni-
rentur. Necdum futura mala publica ſuis
pandit prophetis Dominus Deus, ſed nec
quicquam magni efficit, niſi prius per pro-
phetas ſuos longè antè prænuntiarit. Ma-
gnum quidem erat miraculum Deum *Gen. 3. 12.*
hominem fieri, & illud Adamo, Abraa-
mo, Dauidi indicauit, & per prophetas & *2. Reg. 7.*
Sibyllas etiam futurum toti mundo præ-
ſignificauit. Et vt paucis concludam, nihil
in humanis rebus memorabile facere ſo-
let (præcipuè ſi iſtud fuerit Eccleſiæ ne-
ceſſarium) quin per prophetas antea reue-
lauerit, vel ſignis & prodigijs præmonue-
rit, vt interim filij Dei habeant reſipiſcen-
di occaſionem, tenebrarum vero filij (qui *Math. 13.*
in Eccleſia cum bonis miſcentur, donec
Angeli tempore meſſis zizaniam colli-
gant) ſubinde magis ac magis occaleſcant
atque excæcentur, ſicque iuſtam damna-
tionem accipiant. Neque quis exiſtimet
prophetas ſuopte ſtudio currere abſque
vocatione, cum Dominus ipſorum mini-
ſterio vſus gentem aliquam vult ad pœni-

tentiam conuocare, vel funditus euertere ſimul ac extirpare. Neque etiam licet eis miniſterium, etſi cum grauiſſima cruce coniunctum, detrectare, vt Ionas fecit. Nam quis non timeat ad leonis rugitum? Atqui Dominus Deus cum locutus ſit, quis auſit eum contemnere, atque eo iubente non prophetare? Quemadmodum leonem rugientem in ſaltu audientes non timere non poſſumus, ſic nec prophetæ diuina mandata tacere, vt & ſuo ipſius exemplo in ſequentibus probat Amos, inſtitutam accuſationem proſecutus. Quamuis graue ſit onus, his præcipue qui ſunt infimę ſortis, qualis erat Amos, mundi ſcelera carpere, reges & principes exacerbare: vbi tamen prophetiſandi neceſſitas nobis imponitur, ſubterfugere non debemus, quia Deus Opt. Max. qui nos miſit, vires ſuppeditabit, per Chriſtum Dominum noſtrum. Cui laus, honor, & gloria, in ſecula ſeculorum. Amen.

*Luc. 21.*

## Homilia 10.

*AVDITVM facite in ædibus Azoti, & in ædibus terræ AEgypti: & dicite, Congregamini ſuper montes Samariæ, & videte inſanias multas in medio eius, & calumniam patientes in penetrali-*

*bus eius. Et neſcierunt facere rectum, dicit Dominus, theſauriſantes iniquitatem, & rapinas in ædibus ſuis. Propterea hæc dicit Dominus Deus, Tribulabitur & circuietur terra: & detrahetur ex te fortitudo tua, & diripientur ædes tuæ. Hæc dicit Dominus. Quomodo ſi eruat paſtor de ore leonis duo crura aut extremum auriculæ: ſic eruentur filij Iſrael qui habitant in Samaria, in plaga lectuli, & in Damaſci grabato. Audite & conteſtamini in domo Iacob, dicit Dominus Deus exercituum: quia in die cum viſitare cœpero præuaricationes Iſrael, ſuper eum viſitabo & ſuper altare Bethel: & amputabuntur cornua altaris, & cadent in terram. Et percutiam domum hiemalem cum domo æſtiua: & peribunt domus eburneæ: & diſsipabuntur ædes multæ, dicit Dominus.*

VT autem vidit vates ſe nihil hactenus minis & terroribus profeciſſe erga deſertores Iſraelitas, qui frontem & ſupercilium meretricis induerant, quique iudicium Dei ferre noluerant; ad alienigenas & gentes incircunciſas iam damnatas orationem ſuam traduxit ac conuertit, inuitans illas vt cognoſcant æquitatem iudiciorum Dei in hunc Iſraeliticum populum; cuius corruptiſſimos mores & ſcelera ipſi ſi perſpexerint alienigenæ in vrbe eorum præcipua, ſine dubio ea horreant, & eos ſint damnaturi.

Dicit ergo vt *in palatijs Azothi*, inter Palęſtinos hæc audiantur, nuntientur, ſignificentur, atque diuulgentur: & item *in palatijs*, quæ ſunt in terra *AEgypti*; quandoquidem in huiuſmodi locā hominum magna turba confluit, & quod etiam in aulis principum diuulgatur, latere non poteſt, cum ne quidem ipſorum ſecretiora vitia lateant. Quod & Claudianus ſatis expreſſiſſe videtur in Panegyrico, Honorium Imperatorem ſic Theodoſium filium ſuum alloquentem inducens:

*Hoc te præterea crebro ſermone monebo,*

*Vt te totius telluris in orbe*
*Viuere cognoſcas; cunctis tua gentibus eſſe*
*Facta palā, nec poſſe dari regalibus vſquam*
*Secretum vitijs: Nam lux altiſſima fati*
*Occultū nil eſſe ſinit; latebraſq; per omnes*
*Intrat & obſtruſos explorat fama receſſus.*

*Dicite* ergo, aperta ſcilicet voce & palam, *congregate* vos, & conuenite *in montes Samariæ*, vt ex illis facilius videatis quæ intra vrbem fiunt, vt pote ingentes tumultus, ſtrepitus & turbas: vel ſi mauis cum LXX. θαυμαστὰ, mira, id eſt incurſus admirādos & irruptiones in pauperes, quos per

calumniam & iniquis iudicijs in medio eius opprimunt. Ac ſi diceret, Si coram illis ethnicis a fide alienis vos citarem & iuberem adeſſe, & ſcelerum veſtrorum (religionis etiam cauſa ſemota, in qua mirum in modum peccaſtis) accuſarem, & ipſi animaduerterent tumultus, cædes, dolos, fraudes, rapinas, calumnias & pauperum oppreſſiones, quæ in Samaria vrbe veſtra metropoli & in alijs etiam ciuitatibus in dies patrantur, certo ſcio futurum eſſe vt in hoc iudicio ſuperior abirem, & vos manifeſtorum criminum apud iniquos & impios iudices reuincerem. Iudicate ergo quantis flagitijs apud Deum teneàmini, quos tantorum ſcelerum alienigenæ etiã ſuperſtitioſiores, quales Ægyptij erant, reos faciunt. Adulator quiſpiam veritus fuiſſet populi iam nimium præfracti & rebellis animos exaſperare, ac ſuæ gentis facta nefaria ſilentio præteruolare maluiſſet, quam ea apud exteras nationes exagitare in totius patriæ probrum ac dedecus: Sed vates curat vt Iſraelitarum ſcelera in aulis principum exterorum ſpargantur, vt vel confuſi tandem reſipiſcerent, vel in exilium acti, Deus æquiſſimus iudex ab alienigenis etiam cenſeretur, & ipſorum

calculis ſententia in Iſraelitas exules lata, probaretur. Alioqui dicere potuiſſent id quod Moſes verebatur, Deum callide Exod. 32. eduxiſſe eos vt interficeret & deleret de terra. Opportuit ergo ipſos agnoſcere quod iuſtè ob nefanda ſcelera in exilium Iſraelitæ relegarentur. Sed quàm ægrè tulerint Iſraelitę, nemo eſt qui ambigat, cum in rebus miſeris nihil miſerius vix accidere poteſt, ſi inimici ex noſtra calamitate perſpecta lætitiam percipiant: propterea 2. Reg. 1. Dauid illud metuens dicebat, Ne annuntietis in Geth, neque annuntietis in compitis Aſcalonis, ne forte lætentur filiæ Paleſtinorum, ne exultent filiæ incircunciſorum. Nemo nobis vitio vertat, ſi hæreticorum furta, expilationes, rapinas, ſacrilegia, cædes & id genus nefanda, non diſſimulemus. Huiuſmodi merentur coram Turcis & Iudęis accuſari, quos certo ſcio, perduellionis diuini & humani Gallos hæreticos cõuicturos eſſe. Videamus interea quæ vitia Iſraelitis vates obijciat. *Neſciunt rectè agere*, id eſt, Null⁹ eſt intra Samariam, qui poſſit aut velit, aut cui placeat quicquã recti agere; & vt nihil boni faciunt, ita nullum malum omittunt. *Recondunt*, id eſt reponunt, congeruntin domibus ſuis, quæ

rapto atque populi expilationibus parta ſunt: id eſt opes vi & vaſtatione pauperũ & per fas & nefas, vt dicunt, rapina quæſitas in palatijs ſuis. Inuidioſe hoc dicit, quaſi ſuperbas & magnificas ędes ex pauperum ſanguine viſceribuſque & bonis rapto partis excitent. Iſtud innuere videntur LXX. qui doctè שׁוד ταλαιπωρίαν paſſiue verterunt, *Schod* id eſt miſeriam & ærumnam pauperum: ac ſi diceret, Recondunt in palatijs ſuis diuitias corraſas ex pauperibus, quos fortunis euerterunt, & ad miſeriam ſummamque egeſtatem & inopiam redegerunt. Potuiſſet Dominus & alia multa ſcelera huic genti exprobrare, quibus obſtricta eſſet, ſed quia coram cæcis iudicibus & craſſis lis conſtituenda foret, ea quę vulgaria erãt duntaxat affert in medium. In illa tamen vt & in alia grauiter ſe animaduerſurũ minatur Dominus. Si cum noſtræ tempeſtatis hæreticis litem intenderemus, de craſſioribus tantum peccatis, coram gentibus quæ ſunt à Chriſtiana religione penitus alienæ, ipſos mille mortis generibus plectendos pronunciarent. Cum inſanias, furta & expilationes Iſraelitarum longe ſuperent hæreticorum ſacrilegia, templorum incendia, ſacerdotum & monacho-

rũ horrẽdę ac nefandę cædes. Sed iſta quæ ſine horrore ne cogitare quidẽ poſſumus, miſſa facientes, Deum in propheta loquẽtẽ audiamus. Aduerſarius aduenier, omnia hæc quæ cõgeſſiſtis direpturus; & palatia veſtra ex pauperũ rapina conſtructa & ornata diruturus: Et erit in circuitu terræ totius veſtram regionem vndiquaque circundabit, vt nemo poſſit euadere. Porro tunc fortitudo tua concidet atque interibit; & domus tua diripietur atque diſpoliabitur. Id tibi fiet quod alijs facere conſueuiſti. Iuſto ſiquidem Dei iudicio, quæ tyrannide, iniquis iudicijs & rapina comparantur, bellis puniuntur, & quæ longo temporis ſpatio corraſa fuerant, ſtatim abripiuntur. Quid iuuat tantas opes vi, fraude & calumnijs partas in palatiis recondere? Nonne hoſti aduerſario & militi ſæuo tandem præda fient? Quid igitur ad opes malis artibus cumulandas tantopere
Iſa. 33. contendis? Audi quid Iſaias in eandem dicat ſententiam: Væ tibi qui prædaris, nam & ipſe prædæ expoſitus eris. Cur ergo in proximi fortunas ſic immines, cum male parta, iuxta parœmiam, peſſime dilabi ſit
Eccl. 4. neceſſe? Omne munus & iniquitas delebitur, ait ſcriptura. Quæ enim tantis conati-

bus inique comparaſti, non hæredibus ſed hoſtibus, non amicis ſed inimicis paras. Quod ſi hæredes bona tua ex rapina parta & in theſauros coacta contigerint, vel ipſi erunt ingrati, vel tandem omnia infra paucos dies ligurięt ac deuorabunt. Cum autem gens maxime in præſidijs & munitionibus ſpem omnem collocaret, Deus illam de robore & opibus iſtis (in quibus robur & fiduciam collocabat) deiiciendam pronuntiat. Seruabit interim paucos 3.Reg.19.
pios de manu hoſtis, qui genua ante Baal non curuauerant. Quemadmodum Deus ſeruat ſuam autoritatem in malis puniendis, ita etiam clementiam adiungit ſeruandis bonis, quod vates appoſita & eleganti ſimilitudine ſumpta ex arte ſua paſtoritia demonſtrat. *Sic locutus eſt Dominus.* Quemadmodum paſtor ex faucibus leonis ouē iam diſcerpentis ac dilaniantis crus vnum aut alterum eripit, vel ſegmentum & extremam auriculæ particulam: nihilo felicius eripietur quiſpiam ex filijs Iſrael, qui Samariam metropolim inhabitant, & in ea tanquam in lecto iacentes ſecuri quieſcunt: Neque etiam qui in Damaſco (quā recens receperat præpotens ac clarus vi- 4. Reg.14.
ctoriis ac rebus geſtis Hieroboam) tam-

quam in ſtrato ſecurè viuũt & mollem ac ſuauem vitam agunt. Simul omnes perimentur, niſi forte fortuna ſeruari contingat aliquem in angulo lecti & in ſponda grabati ex longa & diuturna infirmitate decumbentem, bello prorſus ineptum, nec hoſtibus vſui futurum, ſi caperetur: Quaſi diceret, quam pauciſſimi manus hoſtium euadent, vt minimum quid leoni aut lupo ouem diſcerpenti ac deuoranti paſtor eripere ſolet. Vt enim Dominus Deus fidelis in promiſſis haberetur & in prophetis verax reperiretur, Iſraelis reliquiæ ſeruatæ ſunt, ſed admodum paucæ, quas Domino pro immenſa bonitate conſeruare viſum fuit. Aliqui belli & captiuitatis tempore ſeſe in regnum Iuda ad Ezechiam receperunt. Alij vero, vt & iuſti nonnulli, publica illa calamitate inuoluti (veluti Tobias, familia eius & propinqui) a Deo ſeruati ſunt, ne cum impiis perirent, & animum ſimul cum libertate amitterent. Dominus Deus minas ſuas ſale humanitatis & conſolationis condit, Eccleſiam ſuam in media cruce, vti nauem in medio maris vento & procellis agitatam, conſeruat. Leoni ſæuienti & quid
1.Pet.5. deuoret quærenti, per fidem fortes pii & ſancti

ſancti reſiſtunt. Vnum aut alterum crus & auriculæ cartilago ex ore leonis & fauce draconis, id eſt tyrannorum manu & hæreticorum verſutiis ſeruabit Dominus, nequaquam funditus delebit, ſed inter medias pœnas miraculoſe deffendet ac diuinitus ſeruabit. Si fuerit populus tuus, inquit Iſaias, quaſi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo, paucitas ſeruandorum minime nos attonitos reddat. Via ſtricta eſt quæ ducit ad vitam. Multi quidem vocati, pauci vero electi. Vt enim paſtor interdum ſuperueniens, inſequente ſuo ſermone & tumultu ab ore leonis duo crura aut extremum auriculæ ouis ſemideuoratæ recuperat, ita vix triceſima pars mundi ſeruanda eſt, veluti pauci ex Iſraelitis ab imminente calamitate ſeruandi erant. Deus variis in ſcripturæ locis paſtori confertur, qui nihil omittit, etiám ſi paruum ſit, quod non ſeruet? aliis paſtoribus exemplum commõſtrans puſillũm gregẽ non eſſe contemnendum. Duo crura & extremum auriculæ indicant ſaltem quale pecus fuerit. Quoniam quidem potuiſſent Iſraelitæ exiſtimare diuini cultus mutationem & nouorum templorum erectionem Deo gratam eſſe, ac propterea

*Iſa.10.* *Math.7.* *Math. 20.*

coram alienigenis à vate non exprobratam, & ſic ſuis nouis ritibus & ſuperſtitionibus poſſe Deum placare. Subdit igitur vates: *Audite* prophetæ aut ſacerdotes, aut quicumque tandem eſtis, quorum intereſt populum admonere, audite inquam ſententiam Domini, quam in idololatras Iſraelitas ipſe per miniſtros ſuos ferat, atque vna mecum teſtes eſtote. *Conteſtamini* ſeu obteſtamini domum Iacobæorum ac velut teſtibus adhibitis & aduocatis de imminente hac calamitate populum præmonete, ait Dominus. Ipſe inquam Dominus exercituum Deus, cui parent omnia, vt exercitus Imperatori ſuo, cuius imperium & dominationem omnia ſuo modo agnoſcunt. Nam tum quum Iſraelitas ob ſua ſcelera puniam, nimirum ob rapinas & iniuſtas actiones, prædas & id genus, ſimul etiam præſtrenuè me vindicaturus ſum de altaribus in Bethel conſtructis, in ea quoque animaduertam: & præcidentur, truncabuntur, amputabuntur cornua altaris (quæ quodammodo ſanctiora videbantur, quia ſanguine aſpergebantur, tum ipſorum initiatione, & cum immolandis hoſtiis concelebrabantur) atque ipſa in terram ſunt prorſus deturbanda. In die enim quo Deus ſcelera gentis

alicuius punit, tanta ſeueritate vti ſolet, vt ne ipſis quidem locis in quibus ſcelera fiunt, parcat. Sic maledixit terræ quæ Abelis iuſti ſanguinem hauſerat. In ea etiam quæ ad idololatriam comparata erant deſæuit, ne dum in idololatras. Pij principes Honorius & Arcadius (vt Diuus Auguſtinus tradit) non tantum in hæreticos, qui & idololatræ ſunt, ſomnia ſua pro puto Dei verbo colentes, legibus animaduertunt, ſed etiam in loca in quæ conueniebant, quæ in fiſcum Imperatorum ſanctionibus redigebantur. Nam quid valent iuſte poſſidere, ait, inimici iuſtitiæ? Proditorum domus & loca publica quoque ac priuata, vna etiam cum ipſis proditoribus, in æterni opprobrij monimētum, publicari, & ſolo æquari ac complanari ſolent, vt Pariſijs factitatum cōſpeximus. Corporalia enim ſupplicia ideo ſceleratis & reprobis Deus minatur, vt hiſce coram mundo oſtendat ac demonſtret futurum ſupplicium, idque æternum, quod omnes pœnitere neſcios in futuro ſeculo manet. Nam etiāſi in omnes non animaduertat in præſenti hoc ſeculo, quoſdam tamen diuerſis pœnis & ſupplicijs temporarijs afficit: Vt Sodomitas, Pharaonem, atque hos Iſrae-

*Gen. 4.*

*Auguſt. in Epiſt. ad Parmenianum.*

*Gen. 19. Exod. 14.*

litas, vt cæteri diſcant mortem æternam tandem epilogum fore iſtarum ærumnarum, quæ modo ſunt vt proœmium quoddã. Sunt, vt vulgo dicitur, inferorum ſuburbia. Neque mirum cuiquam videri debet vátem poſteriore loco ædium ad delicias magnificeque conſtructarum meminiſſe, ad exaggeratione͂, quaſi tuliſſent iniquiòre animo Iſraelitę ſuarum magnificarum domorum vaſtationem, quam altarium. Nam in ſciſmate & religionum varietate, etiam ſi in principio ſint aliqui partium acerrimi defenſores, quam plurimi tamen ἀμφίβιοι reperiuntur, quibus neutra ambarum partium religio curæ eſt, quique amplas fortunas ſuas duntaxat curãt. Perinde illis eſt de religione, modo hyemalem domum ſimul & æſtiuam cum eburneis ſuperbiſſimis, in quibus laſciuire ſolent, conſeruare poſſint. At Deus qui huiuſmodi homines lente tepideque age͂tes & ex vtroque latere claudicantes, quique laſciuiis diffluunt, abominatur, tãdem percutiet. Regibus enim & potentioribus geminas domos habere, præcipue in calidioribus locis, vt in Aſia, moris fuit; vnas ad Aquilonem expoſitas, refrigerii cauſa æſtatis tempore, vt habetur Iud. 3. de Æ-

gla rege Moab qui ſedebat in ęſtiuo cnaœculo ſolus;alteras ad Auſtrum in loco aprico, ob calorem hyeme, vt habetur Hier. 36.de Ioacim qui ſedebat in domo hyemali in menſe nono: quod quidem hîc non tam taxat vates, quam luxum & abuſum, qui cum detrimento proximi coniunctus erat; quandoquidem ex fraude & rapina pauperum conſtructa erant ædificia adeo magnifica & ſumptuoſa. Alioqui externis iſtis vti licet cum gratiarum actione & moderatè, modo ne cùm abuſu & iniuria proximi fiat,atque etiam modo ne illis ita ſimus addicti, vt propterea regni æterni nobis per Chriſtum parti obliuiſcamur. Cui laus,honor, & gloria,in ſecula ſeculorum. Amen.

## Homilia II.

*AVDITE verbum hoc, vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ: quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes: quæ dicitis Dominis veſtris, Afferte & bibemus. Iurauit Dominus Deus in ſancto ſuo, quia ecce dies venient ſuper vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias veſtras in ollis feruentibus. Et per aperturas exibitis altera contra alteram, & proijcie-*

*mini in Armon, dicit Dominus. Venite ad Beth-el, & impie agite: ad Galgalam, & multiplicate praeuaricationem & offerte mane victimas, tribus diebus decimas veſtras. Et ſacrificate de fermentato laudem: & vocate obligationes voluntarias, & annunciate: ſic voluiſtis filij Iſrael, dicit Dominus Deus.*

QVEMADMODVM ſcimus ex Apoſtolo non eſſe poteſtatem niſi à Deo, & omnem magiſtratum ſummum & infimum ab ipſomet ordinatum, ac propterea illi parendum, niſi cum Deo bellum gerere quis velit: Sic etiam principes & magiſtratus viciſſim ſciant, quid ſubiectis ſecundum Deum, leges & conſcientiam ſit tribuendum, neque gladium vltorem, quo ipſi armãtur, temere geſtent, neque illũ in bonos, innoxios & inſõtes quos debent, iniquè ſtringant, vt iſti Iſraelitarũ proceres, pauperibus ob ſuam potentiam formidabiles (quos vates hac noua concione inſectatur) inhumaniſſime fecere. *Audite* ergo hanc in vos Domini ſententiam, *vaccæ Baſan* obeſæ, prępingues & bene paſtæ quæ agitis in monte Samariæ, quæque pauperes opprimendo, egenos & inopes exugendo & atterendo, Dominis veſtris hanc cantilenam perpetuo occini-

*Rom. 13.*

tis, dicentes: *Adferte* quomodocumque quæſita & oblectemus nos & bibamus. Cum vates animaduerteret Iſraelitarum primores & potentiores, prophetiam minis & terroribus plenam aſpernari, quaſi ipſi non eſſent diuino iudicio obnoxij, & doctrinæ prophetarum ſubiecti, ſed ſancti & intacti: vehementius & quaſi per ludibrium in ipſos inſurgit, non pluris ipſorum diuitias & autoritatem faciens, quam Baſanitidis regionis pingues vaccas, non arationi aut culturæ, fœturæve idoneas, ſed lanieni duntaxat aptas & accommodas. Memineris imprimis vatem non veritum fuiſſe tam delicatas principum & aulicorum aures offendere, cum tam ruſtico, inciuili, adeoque contumelioſo vtatur epitheto, ipſos vaccarum nomine cōpellans. Paſtor enim fuit, non in aulis regum & principum (quæ celebrium & magnificorum titulorum officinæ ſunt) educatus, ita vt Macedonum inſtar, non poſſit ac plene neſciat ſcapham, aliter quam ſcapham vocare. *Audite verbum hoc, vaccæ Baſan,* &c. Vaccas principes & conſiliarios appellat, non tauros aut boues, molliciem & effeminatos eorum mores notans: & ipſos vaccas Baſan (quæ regio feraciſſima

erat, & paſcuis maximè abundans) quod toti deliciis deliqueſcant, & in id tantum incumbant, vt cuticulam ſummopere curent. Itaque bellè ſeſe paſcunt, & de pauperum ſudore molliter ac ſuauiter viuunt. Quibuſdã Hebræis atque Lyrano viſum fuit vatẽ heroinas ac primarias mulieres principum & magiſtratuum vxores perſtrinxiſſe quæ maritos ſuos perpetuo aut blandis & mollibus artibus, aut ſumma etiam importunitate ſollicitabant, vt quomodocumque quæſita adferrent, & ſic diteſcerent, ac ſuauem lautamque vitam degerent. Nihil rapinæ ſatis eſſe poteſt, quod huiuſmodi Harpyarũ articulos explere valeat, & vt illis nihil vnquam ad libidinem, faſtum, cupiditatemque explendam ſatis eſt, ſic nunquam illud verbum intermittitur, Affer: vel vt habet Chaldeus interpres, Regna & expoliabim⁹: quo quidem conſilio feminæ viros ſuos ad ambiendos magiſtratus impellunt, vt ſcilicet per regnandi potentiam aliena appetere atque auferre impune poſſint. Solent & antiquiſſimi poetæ feminei ingenii mores exprimere ſub vaccarum ſimilitudine, vt
*Pith. Od.4.* Pindarus Iaſonem inducens qui ſeſe ex eadem vacca prognatum, ex qua Creteus

& Salmoneus nati fuerant, pronuntiat. Vtinam tales ſanguiſugæ maleſuadæ ab principum aulis longe abeſſent. Potentiores interea & primores, qui ſub regibus regni negotia adminiſtrant, taxari & carpi videntur, vt pote qui accepta à regibus poteſtate, ſubditos perquam inhumaniſſime tractant, malitioſaque iuris interpretatione defraudant, & exhauſtis per ſummam iniuriam rebus omnibus ſpoliant. Sunt & qui ſacerdotes vna cum iſtis primoribus cõpellari exiſtimant. Erát enim quædam inter eos colluſio, vt ſic ex pauperum ſudore & laboribus vtrique diteſcerent, & lautius quam par eſſet, viuerent. Delicatuli noſtri aulici prophetam inſimularent perduellionis, ſiue vt dicunt, criminis leſæ maieſtatis, qui ſic nullo perſonarum delectu habito, principes beſtias appellaret. Sed Chriſtum ipſum omnium prophetarũ Coriphæum & totius modeſtiæ exemplar arrectis auribus audiant, qui canes & porcos, impios vocat: Phariſæos quoque viperarum progeniem vocabat diuus Ioannes. Multum enim diſcriminis eſt inter neceſſarias increpationes & ciuiles iniurias. Quæ igitur prophetæ, paſtores & doctores nobis obiiciunt, patien-

*Math. 7.*
*Math. 3.*

ter feramus, demuſque operam vt maturo reſipiſcamus.

Iſti quos vates inſectatur, iniquorum iudiciorum, oppreſſionis pauperum, auaritiæ & luxus, tum demum ſecuritatis peccati arguit. Eorum intererat pro ſui muneris ratione, vi & violentia oppreſſos liberare, egenos iuuare, cum ipſi primi ſint qui vim inferant, & pauperes opprimant, atterãt & conculcẽt. Nec aliud curant, niſi cõuiuia, luxum & ebrietates. Ad Reipublicæ conſulendum prorſus ſunt inutiles, ad opprimendum vero iniquo iudicio pauperes, ad inferendam egenis violentiam & calumniam, ad conſumendum fruges & cyphos ſorbilandos ſunt promptiſſimi & potentiſſimi. Eo vaccis deteriores, quòd hæ non bibãt niſi ſitientes, & quanto opus eſt ad ſitim extinguendam: illi vero ſitim non expectantes, vt cum primũ experrecti ſunt, ingentia vaſa corripiunt & omnia luxu antecapiunt, quaſi vires ſuas hiſce compotationibus oſtentarent. Vę inquit Iſaias,
*Iſai. 5.* qui mane conſurgitis ad ebrietatem ſectandum & potãdum vſque ad veſperam.
*Eccl. 10.* Et Eccleſiaſtes: Vę tibi terra, cuius rex puer eſt & cuius principes mane comedunt. At redeamus ad illud vnde digreſſi ſumus. *Iu-*

*rauit Dominus in ſancto ſuo*, id eſt per ſanctitatem ſuam, nempe per ædem ſibi ſacram; *Iſai. 66.*
vel per cœlum, quæ ei ſedes ſancta eſt: vel per ſacroſanctam maieſtatem ſuam, vobis hoc euenturum pollicens, quod non diu erit, ſed propediem præſtabit. Dies vobis ſuperuenient, impendent vobis tempora. Tempus ſiquidem iam adeſt quo hinc piſcium in morem vncis auferemini, & liberi ſiue nepotes veſtri hamis piſcatoriis. Tametſi iam Deus diſſimulet atque expectet veſtram pœnitentiam, venturi tamen ſunt dies & breui, in quibus vſu comperietis Deum iuſtum eſſe. Facilitatem innuit vates, qua regis Aſſyriorum milites ſint Iſraelitas capturi & abducturi, nihil obſtante ipſorum pinguedine ac opimitate. *Hebr. 6.*
Cum Deus non poſſit per maiorem ſe iurare, iurat per ſanctitatem ſuam, cuius iuſiurandum nihil aliud eſt quam decretum eius perpetuo conſtãs & incommutabile; per hoc innuens certiſſimè ventura tempora, quibus ſupplicium ab impiis principibus & magiſtratu repetiturus eſt. Simplex Dei aſſertio ſufficere debuerat, niſi iſti obſtupuiſſent, & in peccatis arctè & grauiter obdormiuiſſent. Iurat quoque per ſanctuarium ſuum Deus, id eſt per

templum Hieroſolymitanum, in quo tũc temporis rite & legitime duntaxat à Iudæis colebatur, illud ſuperſtitioſis Ieroboami templis & omnibus excelſis opponens, in quibus Iſraelitæ ſuam ſuperſtitionem & idololatriam impunê exercebant. Videtur propheta in metaphora vel in ſimili ſuo perſtare, cum dicit dies ſuperuenturos, quibus hoſtes tollerent vel leuarent has vaccas pingues & obeſas ſcutis, contis, haſtis, vel vt alij volunt, ſpinis, & ipſorum poſteritatem hamis piſcatoriis, aut, vt vertit Hieronymus, ollis feruentibus, piſciculis ſcilicet. Poſtquam enim vaccæ illæ pauperum ſudoribus & ſanguine fuerint ſaginatæ, haſtis & lanceis leuabuntur, vt lanius ſudibus & perticis (Gallice diceremus, *en des iambiers*) leuare ſolet vaccas, quæ in fruſta diuiſæ huc & illuc mittuntur. Sic fere Colligneo Gallici maris Præfecto contigit, cuius caput in aliam regionem, vt lupi cuiuſdam rapaciſſimi, vrſi aut leonis, delatum fuit, & cuius digitum maximi emere voluit extraneus quidam, ab hiis qui cadauer ipſius ad patibulum trahebant. Sunt qui hunc locum ſic interpretantur: Et auferet vos in frigoribus, & nouiſſima veſtra in ollis piſcium.

Ac ſi diceret, vos mulieres delicatiſſimæ quæ in amœniſſimis Samariæ montibus delicatè & molliter viuentes temperato & ſalubri cœlo fruimini, tandem in variás regiones abducemini, atque grauiſſimos viarum labores, & tẽporum iniurias, maxime frigorum hyemiſque vim perferre cogemini: nouiſſima autẽ veſtra, hoc eſt, omnium laborum ſubleuatio piſcis olla tandem erit: non amplius apparatis conuiuiis, ſed viliſſimis piſcibus & in olla temere & inculte elixis vſuræ eſtis, vt famem leuire poſſitis. Vult igitur vates innuere Salmanaſarem venturum, qui lanij munere fungetur, eoſque in terram exteram abripiet (ad quam non ſine maximis itinerum laboribus & fame peruenient) ipſorum deliciis maxime tẽperaturus: quaſi diceret, Deus vos lenioribus flagellis a principio perſtrinxerat, ſed quia iis non meliores fuiſtis effecti, duriora & ſeueriora tandem inuret, vt vita veſtra deliciis & voluptatibus diffluens pauperum damno, & in peccatis ſecuritas puniatur. Exiſtimatis in vrbibus veſtris, quæ muris, foſſis, & aggeribus muniuntur, ſecuri agere, & in illis, vt piſces in aquis, vitam voluptuariam perpetuo viuere. At ſpes illa vana eſt, quæ

vos ludificabitur: nam inſtrumentis bellicis confracto ciuitatis veſtræ muro, vnaquæque per rupturam, quam ante ſe habebit, & quæ ei primum occurret, inuitæ & coactæ, ô vaccæ pingues, exibitis. Quaſi diceret, Nihil neceſſe habebitis per portas exire: tam graues enim murorum diſturbationes & conquaſſationes ab hoſtibus ciuitatem obſidentibus edentur, vt per eas erumpere poſſitis. Et quia tam difficilis fuit pauperibus ad vos aditus, cum illi vndecumque ad vos properarēt ac prouolarent, ideo veſtri muri funditus labefactabuntur ac ſubruentur. Non amplius erit triplex murus, neque ianua triplex, quæ pauperes arceat, quominus veſtro fruantur colloquio. Vbi tunc erit illa frequentia & celebritas quæ vos olim adeo delectabat, cum ex vrbe ad cœnas, conuiuia, in hortis, in ſiluis, luciſque paſſim & tributim celebrāda proficiſcebamini? Exibitis altera contra alteram, vnaquæque è regione ſui: Hoc eſt, ſingulæ per ſingulas aperturas; & alia parte mater, alia filia, alia etiā ſoror exire coacta, alia frater productus, alia maritus abductus, deſiderio, ſolitudine metu atque cura diſtineantur, atque conficiantur. Ex his colligere licet munitiones

validas & præſidia, Deo iraſcente & puniente, nihil prodeſſe. Nam Deus ciues mœniis fortiſſimis concluſos, inde eximit faciliori negotio, quam piſces hamis piſcatoriis ex aquis trahantur: atque in hoſtilem regionem abducit, miſere & contumelioſe illos proiiciens, qui pauperes opprimendo, tantis deliciis fruebãtur: quemadmodum hiſce Iſraelitis contigit, quos Deus ſic alloquitur, amarulenta ironia eos irridens: *Venite in Bethel, & impie agite*, cum idolis laſciuiendo. Et quoniam non ſatis vobis videtur in Bethel vitulum coluiſſe, inſuper alia idola, vt Baal, more veſtro, in Galgal colite, ſcelus ſcelere, impietatem impietate exaggerãtes, vt fieri ſolet, vbi ſemel a veræ pietatis cultu receſſum eſt. Strenuos vos præbete ad colendos veſtros vitulos. *Adducite* quotidie *mane*, vel ſingulos diebus ſummo mane *victimas veſtras*, & tertio quoque anno decimas veſtras, ſumma nimirum diligentia idolis veſtris exhibentes, quæ Domino ſunt exhibenda. Quoniam modis omnibus tentarat Dominus Deus hunc populum à ſua deffectione & idololatria ad Eccleſiæ vnionem & verum Dei cultum adducere, nec poterat: modo vt præfractis & ma-

læ frugis filijs laxat habenas. Ite & operam date ſuperſtitioni veſtræ & nouis opinionibus quantum libuerit. Sarchaſmus vel iſta mordax ironia & amarulenta, qua quid hoſtiliter & cum indignatione præcipitur, maxime timenda eſt, quia inde multa incommoda ſunt redundatura. Vt Eccleſiaſtes 11.11.videre eſt,vbi dicitur, Lætare iuuenis in iuuentute tua, &c.tādē ſubnectitur, Et ſcito quod ob hæc omnia adducet te Deus in iudicium,ac omnium rationem reddes. Sunt & alia huius phraſis dicteria in ſcripturis, qualia ſunt iſta, Ioan.13. Quod facis, fac citius,infit Chri-
*Apoc.22.* ſtus ſuo proditori: Et in Apoca. 12. Qui nocet,noceat adhuc,& qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.Hæc non iubentur, ſed à Deo derelinquente & indignante permittuntur. Vates ergo permiſſione vtitur,non illa quidem quæ conſilium, ſed quæ ironiam dicentis ſignificet, qua deſerti officii grauius illos inſimulet.Hæc vobis ait,ironice pręcipio,non quód talis cultus ſit mihi cordi, ſed quia vobis ſummopere placet,& talem neglecto verbo meo elegiſtis. Ob eandem rem 4. Reg. 21. Manaſſes arguitur. Duo loca iſta Bethel & Galgal vel Chilgal (quorum Hoſea cap. 9. & 14. meminit)

minit) ſanctitatis nomine nobiliſſima & celeberrima tandiu extiterunt, quamdiu ad memoriam beneficiorum a patribus illis receptorum fuerunt frequentata: Poſtquam autem his in locis impia ſuperſtitio exerceri cœpit, ex eo profana & execrabilia reddita ſunt, & nomen Bethel, quod domum Dei ſignificat, in Bethanen, id eſt iniquitatis domum, mutatum eſt. In Bethel quondam Iacob aram erexerat ad *Geneſ. 35.* verum Deum piè & religioſè colendum: in Ghilgal autem Archa Domini aliquãdiu *Joſue 4.* fuerat, vbi primum Hebræi Iordanen traieciſſent, & a ſecunda etiam Circunciſione & Paſchæ celebratione commẽdatior reddebatur. Veterum ſane patrum exemplis, & ſanctorum locorum nomine abutebantur, vt ſuam hæreſim & ſuperſtitioſam idololatriam tuerentur: quod & Samaritæ fecerunt Chriſti Domini tẽporibus, *Joan. 4.* Iacobi Patriarchæ factum prætexentes, qui olim in monte Garizin Deum Opt. Max. coluerat. Hieroboamus huius *3. Reg. 12.* nominis primus non ſolum patrum & locorum ſanctitate abuſus eſt, ſed ferè rationem ſacrificiorum lege præſcriptam imitatus eſt: vnde & ternas ſtatas ferias Paſchę, Penthecoſtes & Tabernaculorum re-

tinuerat:& eadem penè, quæ lex iubet, offerebat. Vafer ille ſciebat populum in ſancta & ſyncera religione ſub piis regibus Dauide & Solomone nutritum & educatum, haud facile nouam religionem amplexurum, niſi auitam in multis referret: Simili modo hæretici verſuti & callidi Eccleſiam Chriſti ſimiarum more imitari ſimulant (interim ſemper aliquid fermenti miſcentes) vt aſtutius ſuum peſtiferum venenum diſſeminent: Simiæ tamen perpetuo manebunt, nec Deum (qui non recte & vt decet, niſi in Eccleſia Catholica colitur) vnquam pure & caſte colent. Vt autem vates ironiam augeret, eorum fictam religionem, & cornutam (vt aiunt) deuotionem affert in medium. Nam cum lex iuberet poſt tres annos tantum decimas extraordinarias afferri, ipſi vt ſe diligentiores feruētiores & ardentiores in ſua ipſorum apoſtaſia & defectione oſtenderent, ad tres dies afferebant, in ſuperſtitioſum cultum & falſos miniſtros impendētes, quæ Deo, templo & eius miniſtris forent exhibenda. Hoc expreſſum videre ſolemus in omnibus fere ſectis, quæ nec ſumptibus nec honori, neque etiam proprio ſanguini parcunt, vt propriam hære-

ſim ſartam tectāque tueantur. Hæc enim omnia (teſte Hieronimo) quæ per æmulationem Dei facit Diabolus, non noſtræ religionis ſuperſtitio, ſed noſtra arguitur negligentia, id nolentium facere, quod bonum eſſe, etiā ſeculi homines non ignorant. Si pagani, infideles & hæretici quicquam habuerint, vt ceremonias & huiuſmodi, cum Catholicis in religione commune, illud propterea non tollendum neque reijciendum erit. Nam omnibus ſeculis Sathan res diuinorum (verba Domini Tertuliani ſunt) ſacramentorum vtique æmulatus eſt. Et quoniam vt eſt ſimia non poteſt fingendo perfecte res ſacras exprimere, ſemper aliquid falſi & adulterini miſcet. Simia omnis ſemper ſimia, vt in prouerbio eſt, licet niteat ac colluceat purpurea veſte. Quod Sathan ſemper aliquid ex ſuo miſceat, hoc in loco videre eſt. Nā etiamſi ſuper panes fermentatos lex iubet offerri oblationem תוֹדָה confeſſionis & gratiarum actionis, Leui. 7. haud tamen propterea permittit ex ipſo fermento adoleri adipes, quę Domino ex alijs ſacrificijs ab holocauſtis relinquebantur, vt tota cremarentur pro eius portione. Iſraelitæ vero contra legem quæ habetur Leui. 2. facien-

*Hier. 2. aduerſ. Iouinianum.*

tes in ſacrificio gratulatorio & gratiarum actionis ex fermento incenſum faciebant, adolentes adipes, vt Deus exprobrando cum indignatione illis pręcipit: *Adolete ex fermento &c.* Summa eſt: Vult oſtendere quod illi dupliciter peccent, quia & contra legem facerent, & idolis facerent, quibus etiam vota nuncupabant, & vt arctiori religione eorum tenerentur, nuncupata pronuntiabant, quæ vates oblationes voluntarias appellat. Rationem ſubdit. *Sic enim amaſtis filij Iſrael.* Hoc enim vobis pergratum extitit, ſed tamen pœnas luetis. Oportuit quidem legibus diuinis æquis & iuſtis, non autem animis veſtris obſequi.
1.Reg.15. Pluris vtique apud Deum valuit obedientia quam ſacrificium: illi igitur tota mente & viribus obſequamur. Cui laus, honor, & gloria, in ſecula ſeculorum. Amen.

## Homilia 12.

*VNDE & ego dedi vobis ſtuporem dentium in cunctis vrbibus veſtris, & indigentiam panum in omnibus locis veſtris: & non eſtis reuerſi ad me, dicit Dominus. Ego quoque prohibui a vobis imbrem, cum adhuc tres menſes ſupereſſent vſque ad meſſem: & plui ſuper vnam ciuitatem, & ſu-*

*per alteram ciuitatem non plui: pars vna compluta eſt, & pars ſuper quam non plui, aruit. Et venerunt duæ & tres ciuitates ad vnam ciuitatem vt biberent aquam, & non ſunt ſatiatæ: & non rediſtis ad me, dicit Dominus. Percuſsi vos in vento vrente, & in aurugine, multitudinem hortorum veſtrorum, & vinearum veſtrarum, olıueta veſtra & ficeta veſtra comedit eruca: & non rediſtis ad me, dicit Dominus.*

CERTISSIMA reprobationis ac indurationis ſunt argumẽta atque indicia, quum nullis beneficijs mortales allecti, neque flagellis caſtigati, pœnitentia ſeria ad Dominum Deum ex animo & toto pectore, vt par eſſet, non redeunt, & ad bonam frugem ſanitatemque non reuocantur. Fuitne gens vlla ſub cœlo, quam Deus maioribus vnquam beneficijs cumulauerit, & chariorem habuerit ipſo Hebræorum populo? Non oculorum pupilla cuiquam charior extitit quam gens iſta Deo Opt. Max. quemadmodum cum illa expoſtulant hac de re omnes fere Prophetę. Cum autem apud illam parum aut nihil maximis illis beneficijs proficeret, imo laſciuientium præ nimio pabulo, equorum inſtar, ipſa laſciuiret ac efferatior redderetur; ciborum ſubductione, id eſt fame &

ſiti, alijſque ſupliciorum generibus tentauit emolire, domare, & ad meliorem frugem reducere; quod efficere non potuit, vt per vatem hoc in loco illis exprobrat. *Et ego dedi vobis mundiciem*, vel vt LXX. ſtuporem, γομφιασμὸν colliſionem *dentium*; Targum hebetationem. Obtuſi reddũtur dentes & obſtupeſcunt ex fame. Q. diceret: Ego quidem vos ad reſipiſcentiam alliciens, dedi vobis in cunctis vrbibus veſtris dentes famelicos. Et ſi agros vberes & fertiliſſimos habeatis, tota interim regio veſtra ſumma laborabit penuria. Dentiũ mundiciem vocat famem, qua dentes puri ſunt & vacui, vt nihil neque panis neque carnium inter illos hæreat, vt alioqui maximè quum carnes eduntur, hærere ſolet. Illud potius expetendum eſt, vt peccantes caſtigemur, quam vt in peccatum

*Prou. 3.* labentes nulla pœna coerceamur. Quem enim amat Dominus caſtigat, paternæque beneuolentiæ argumẽtum eſt obiurgatio: contra omnis anima, quæ admonitionis eſt expers, incurabilis manet. Quocirca nequaquam graue eſt plagis affici, ſed plaga non meliorem fieri grauius &

*Hier. 5. & 8.* acerbius eſt. Domine, inquit Hieremias, flagris eos cecidiſti, nec doluerunt: corri-

puiſti eos & diſciplinam accipere recuſarunt. Quemadmodum enim Dei altare, quod Hieroſolimis erat, oblationibus nudum & vacuum reliquerant, idolis vero atque idolorum extraordinarijs miniſtris tribuentes, quod Deo & ſacerdotibus ordinarijs donandum fuerat; ſic ſane nudi & vacui à cibis, prout meruerunt, relinquendi erant. Quæ Dei ſunt & ad cultum diuinum pertinent, vſibus profanis haud quaquam ſunt accommodanda, nedum Sathanæ ſacris. Sanè non dubito quin huiuſce tempeſtatis hæretici miſere fame & ſiti pereant, qui ſacra omnia ſacriſque commendata clepſerint ac rapſerint. Famem impietatis eſſe ſupplicium non minimum teſtatur Moſes Leui. 26. & Deu. 28. Legimus quoque 3. Reg. 18. factam fuiſſe maximam famem Eliæ temporibus, propter impios cultus, quibus Achab & Ieſabel ſummopere fauebant. Sub Heliſęo quoque alteram fuiſſe docet ſcriptura 4. Reg. 6. Fames, cuius hoc in loco meminit vates, non in vna regionis parte tantum apparebit, ſed generaliter per omnes vrbes veſtras, per omnia oppida graſſabitur. Si vni aut alteri ciuitati cibi inopia, & annonæ penuria contigiſſet, profani, vt fieri ſo-

let,quid fortuitum eſſe, dicere potuiſſent: cum vero tota regio panum egeſtate & ciborum penuria laboraret, illud voluntati Dei & conſilio tribuendum,qui tanta diſciplinæ ſeueritate,non malo quidem animo vtitur, ſed vt populum iſtum tandem caſtigatum, ineptiarum ſuarum pœniteret, qui Deum fontem viuum relinquendo, ſibi lacus contritos, aquas continere non valentes, turpiter & nequiter foderant. Verum res longe alium habuit exitum, cum huiuſmodi flagellis vſque ad Deum clementem & benignum ijs qui reſipiſcunt,non redierint. Sub Iehu multi pœnitentiam ſimularunt, ſed ipſo mortuo ad vomitum reuerſi ſunt. Dum vident hæretici Monarchas non pro ſe ſtare, ſimulant Catholicam amplecti doctrinam,quã protinus abijciunt, ſi tantillum ſenſerint eos hæreſi fauere. Vſque ad Deum non reuertuntur. *Vſque ad me* עַדַי emphaticum eſt Q. d. Etſi aliquando quidem pœnitentiam ſimulaueritis,non tamen vſque ad me redijſtis, quia reſipiſcentia veſtra ficta fuit, & non ſeria: nunquam ex animo & toto pectore, vt ego poſtulo, pœnitentiam peregiſtis. Quando mala nos vndiquaque premunt, pœnitentiam quidem

*Hier.2.*

etiam publicam indicimus & ſignificamus,ſed maxime vereor ne ſeria ſit,& magis flagella quam Deum ipſum timeamus. Vt enim pij,quo magis iram Dei ſentiunt, propius ad illum accedunt, atque omni feſtinatione properãt:Ita impij auffugere & elabi conantur, vel flagellis obdureſcunt,vt Cain,Pharao, Saul & quam plurimi alij nobis ſunt exemplo. Circunſtantiæ quæ ſubſequuntur ſatis & ſuper ſufficientes erant, ſi non fuiſſent omnino præfracti & obſtinati Iſraelitæ, vt ad meliorem & ſaniorem mentem reducerentur.Nam Deus imbrem prohibuerat, cœlos clauſerat,ferreoſque reddiderat, ne terram exaudirent, idque quum meſſis tres adhuc menſes abeſſet. Si ſemel ac iterum tantum diuinæ iræ ſenſiſſetis indicia, fortaſſe quandam excuſationem prætexere potuiſſetis, ſed contra rationem temporis & conſuetudinem & neceſſitatem *prohibui imbrem*, non vno aut altero menſe, ſed totis tribus continuis, toto trimeſtri ante meſſem, eo videlicet tempore quo maxime pluere ſolet:quod vos excitare debuit. Nam ſiccitatem illam ſequuta eſt terræ ſterilitas, ſterilitatem ciborum penuria, penuriam annonæ caritas, tum demum

maxima fames. Hîc vates cauſam effectui iungit, vt clarius, ac manifeſtius populi torpor & ſtupiditas eluceſcat atque appareret. Ex iſta imbrium penuria duplex illis incommoditas, geminumque malum ortum eſt, vt pote agrorum ariditas & ſterilitas, tum demum ſitis, quæ famis malum ſuperare videtur. In illis enim regionibus, teſte Hieronimo, omnes fere aquæ ſunt ciſternarum, id eſt aquæ pluuiæ, præter pauculos fontes, nec Iudæa inſignes amnes habet, excepto Iordane: Itaque vbi eſt imbris inopia, certa ſitis imminet. Ad hæc montana eſt fere Iudęa, propterea aridior, niſi imbribus rigetur. Siti igitur & ſiccitate, quæ etiam, Moſe teſte, impietatis pœna eſt, Iſraelitæ affecti ſunt. Ne tribus annis ſuper terram plueret, à Deo Elias obtinuit, vt Achabi & Ieſabelis ſcelera punirentur, quíque poſtea ſuis precibus à Deo impetrauit vt plueret, interfectis falſis prophetis. Chriſtiani in Eccleſia primæua ſæpe imbrem obtinuerunt ſuis ſacris precibus ſiccitatis tempore, vt autor eſt Tertulianus ad Scapulam. Marcus Aurelius aït in Germana expeditione Chriſtianorum militum orationibus ad Deum factis imbres in ſiti illa impetrauit. Quan-

*Deu.* 28.
3. *Reg.* 17.
3. *Reg.* 18.

do non geniculationibus & ieiunationibus etiam ſiccitates ſunt depulſę? Non igitur forte fortuna ſiccitates fieri credatis, ſed voluntate & nutu diuino. Ne autem iſtud aſtrorum curſui, aut temporis conſtitutioni, aut naturæ aut caſui, aut alicui alij cauſæ ( vt vulgo moris eſt ) attribuatis, ſed potius ſceleribus veſtris aſcribatis; ſubiungit miraculum, quod ediderit. *Pluo* id eſt pluere ſoleo. (Hebraice habetur וְהִמְטַרְתִּי & pluere faciam, vt omnem rerum naturam, cauſam atque efficientiam ſuo imperio ſubiacere demonſtret ) ſuper vrbem vnam, & ſuper alteram, etſi forſan ei vicinam, non pluo: Imo & maius etiamnum prodigium edo, vt notiorem vobis faciam meam prouidentiam, & nihil aut ſecundum, aut aduerſum caſu accidere. Portio vna, id eſt fundus, hæreditas, poſſeſſio, vel vt Rabi Sel. Iarhi. Gallice interpretatur Campagne, compluitur, & fundus alius non compluitur, imbre perfunditur, & fundus alius non compluitur, ac propterea areſcit ſteriliſque redditur, vt nihil eo anno ferat. Hîc diuini iudicii manifeſtum ſignum luce clarius apparet, quandoquidem aliquibus beneficiat (etiamſi nemini debitor ſit) eorum poſſeſſiones irrigando,

aliorum vero fundos non compluendo pertranſeat. Neque is cuius ager non fuit complutus vllam conquirendi rationem habet, quia Deus omnia iuſtè & æquè peragit, quem vitia & ſcelera noſtra contra miſericordiam aſſuetam (qua ſuper bonos & malos pluere conſueuit) cogunt vt ſuper agrum vnum pluuiam demittat, proximus autem ſcaleat. Similia in Gallicis noſtris partibus frequentius quam optaremus videre licet, nimirum fundum vnũ grãdine tangi, vbi vicinus manet intactus: quæ cum ſæpiſſime perſpiciamus, torpeſcimus & neminem noſtrũ ſerio pœnitet. Cum Deus Opt. Max. nõ niſi coactus percutiat, ait Nazazenus, quid afferri poteſt quin natiua ſua bonitate vtens indulgentem ſe nobis prębiturus ſit, modo noſmetipſos noſtri miſereat iuſtiſque patris viſceribus viam patefaciamus, in lachrymis ſeminemus vt in exultatione metamus. Niniuitas imitemur, non iſtos Iſraelitas qui ob tot & tanta ſupplicia ad Dominum non ſunt reuerſi. Nonne inſolitum fuerat, vt incolæ vrbem ſuam relinquerent, & ferarum more, procul aquatum, non ſine magno tumultu currerent? Quis tanto miſeriæ ſpectaculo diuinam non implora-

*Math. 5.*

*Pſal. 125.*
*Ion. 3.*

ret miſericordiam?quis malum non deprecaretur? quis priuata atque publica ſcelera non accuſaret,non damnaret,non expianda prædic aret ? & tamen non ſunt reuerſi ad Dominum. Ipſorum ebrietas, vt meruerat, iuſtiſſimė compenſatur. Vinum condemnatorum id eſt ea pecunia emptum, quam per multas pauperi popello extorſerãt,in ęde deorũ ſuorũ biberant:Et Nazareos vero Deo conſecratos cõtra votum potarant vino,& optimatesqui in aulis principũ verſabantur dicere ſoliti erant ipſis principibus, Affer vt bibamus:modo vero cõcedunt duæ vel tres vrbes aquarũ inopia laborantes,vt vnã vrbẽ,quæ videlicet beneficio pluuiæ non fraudata fuerat, vbi aquam biberent, & non ſatiantur. Quamuis in illa ciuitate ſuper quam plueratDominus ſatis aquarum fuiſſet, vt ipſa adaquaretur,biberet ac ſatiaretur: vbi vero complures aquis carentes ad illam diuertunt,non poſſunt exſaturari, quia infra paucos dies vniuerſas aquas exhauriunt, & ciſternæ exſicantur. Vel non ſunt exſaturatæ, etſi alioqui ſatis aquarum eſſet iuxta cõmunem vſum vt ſatiari poſſent, niſi Dei maledictio adfuiſſet, quemadmodum in Aggeo. cap. 1. dicitur. Interea

ob tam ſtupendam ſiccitatem, quæ famis extremæ, ſæpius ab alijs prophetis prænuntiatæ, cauſa fuit, non redierunt vſque ad Dominum: noluerunt agnoſcere in pœnam ſcelerum ſuorum accidere, neque ideo vel tantillum de impietate & idololatria ſua remittere. Quapropter quicquid reliquum erat virens in terra, ardore ſeu vredine vel combuſtione venti Oriẽtalis in illis regionibus omnia arefacientis & adurentis, & aurugine, percuſſit; omnem mouens lapidem, ſi quo modo ad bonam frugem reduci poſſent. Duplex vitium frugibus nocentiſſimum notat, primum ex ariditate oritur, flante nimirum orientali vento in illis terræ ſanctæ partibus: Latini vredinem appellant, quæ ſpicas iam lacteſcentes ac tumeſcentes omni penitus ſucco priuat, effetaſque reddit. LXX. hîc πύρωσιν, Gallice bruſlure, eſchaudure, & alibi ἀνεμοφθορίαν quaſi a vento corruptionem nominant. Alterum vitium eſt aurugo, quæ culmum ipſum frumenti tentat, & armentorum etiam pabulo ineptum reddit: ex nimio autem humore naſcitur, quum præ humore fruges matureſcere non valentes in virorem quendam ſeu flauedinem & pallorem vertuntur. Vnde

alibi ὠχρίασιν, hic ἴκτερον LXX. verterunt: auruginem vel ſi mauis robiginem vel rubiginem appellaueris. In vitibus ſpecialiter carbunculum, alii æruginem nominant: quod quidem vitium, Plinio teſte, frugibus non contingit, niſi interlunio plenave Luna. Quod ſi tales frugum morbi peſteſque naturalibus ordinibus conſtent, nihil tamen fit, niſi nutu, conſilio & voluntate Dei, qui capitis noſtri capillos numeratos habet & ipſi curæ ſunt. Cum ergo videritis fruges morbis huiuſcemodi affici, ne caſuum & temporum viciſſitudines accuſemus, ſed vitia & ſcelera noſtra, maximeque luxũ & auaritiam, quæ hic vates notare & reprehendere videtur. Multiplices hortos veſtros, & vineas veſtras, & ficeta veſtra, & oliueta veſtra comedit eruca, nunquam tamen ſerio reſipuiſtis, dixit Iehoua. Illa repetitio pronominis veſtros & veſtras emphaſi non caret. Quaſi diceret, Omne ſtudium & operam in multiplicãdis & excolendis hortis, vineis, ficetis & oliuetis collocatis, quũ interea ſyncerum Domini cultum impiè & nefariè negligatis atque prodatis. Nam ne vnus quidem veſtrum caſtigatus ad me ex animo & toto pectore per ſeriam pœnitentiam

reuolauit ac remigrauit. Veriſimile eſt populum hunc in multiplicandis cōparandis & adornandis hortis, qui deliciarum magis & iucunditatis quam diuitiarum cauſa comparantur, maxime addictum eſſe regum ſuorum exemplo, ad quod totus orbis componi ſolet. Achab enim iniquo
3. *Reg.* 21. animo ferēs, quod Naboth vineam ſuam non ipſi tradiderit, vt illic hortum adornaret, mortem vxoris technis pauperi Nabotho ſuit. Sed fruſtra, ait vates, multitudinem hortorum vobis comparatis & excolitis: Nam eruca, pernicioſiſſimum vermiculi genus, & communis omnium plantarum pernicies, lento morſu omnia quæ ſunt in hortis precioſiſſima abſumit, quæ non prius illinc dimouebitur, quam omnia abroſerit atque conſumpſerit. Neque etiam vinetis, ficetis, & oliuetis, quæ cum proximi damno comparaſtis, & pauperiorum oppreſſione auxiſtis, parſura eſt. Quare ſemper veſtri ſimiles permanetis? Si prima & altera caſtigatio caruit fructu, iſta ſaltem tertia ex alto peccatorum veſtrorum ſomno vos expergefaciat. Eſtisne adeò ſtolidi & amentes, ac in ſceleribus & impietate indurati, vt non ſentiatis ventum, pluuiam, grandinem, ſiccitatem, æſtū

& frigus Dei arma eſſe, quibus veſtrã cõtumaciam expugnare tentat? Non ſolum pane & aqua priuabimini, ſed etiam pomis, ficubus, & quacunque refocilatione, quæ in hortis creſcere ſolet. Duabus partibus ſcilicet vtilitate & voluptate, quibus rei ruſticæ ſumma conſtat, carebitis. Interea nihil de ſceleribus veſtris remiſiſtis, nec vſque ad me reuerſi eſtis, quẽ deprecationibus & ſupplicibus votis exoraſſe opportuerat. Ne ſimus Chriſtiani auditores, huic populo ſtupido & indurato ſimiles, neque flagellis Dei obdureſcamus, ſed ad illum ſeriò per pœnitẽtiam non fictam nec commentitiam redeamus. Ipſi laus, & gloria, in ſecula ſeculorum. Amen.

## Homilia 13.

*MISI in vos mortem in via Ægypti, percuſsi in gladio iuuenes veſtros vſque ad captiuitatem equorum veſtrorum: & aſcendere feci putredinem caſtrorum veſtrorum in nares veſtras: & non rediſtis ad me, dicit Dominus. Subuerti vos, ſicut ſubuertit Deus Sodomam & Gomorrham, & facti eſtis quaſi torris raptus ab incendio: & non rediſtis ad me, dicit Dominus. Quapropter hæc tibi faciam Iſrael: Poſtquam autem hæc fecero tibi, præparare in*

*occurſum Dei tui Iſrael. Quia ecce formans montes, & creans ventum, & annuntians homini eloquium ſuum, faciens matutinam nebulam & gradiens ſuper excelſa terræ: Dominus Deus exercituum nomen eius.*

VNIVERSI conatus noſtri vani, inanes & irriti forēt, niſi diuino ſpiritu erudiremur, moneremur & traheremur, & niſi etiam erudientem ſpiritum monentem & trahentem voluntarie ſponteque ſequeremur. Nam ſine me, dicebat Chriſtus, nihil poteſtis facere: Et nemo poteſt venire ad me, niſi pater traxerit eum. Sponſa igitur Chriſti Eccleſia illo ſpiritu afflata, clamat in Canticis ad ſponſum ſuum, Trahe me poſt te: quaſi diceret, niſi me tua benignitate, gratia & fauore ad te traheres & trahentem ſequerer, fruſtra laborarem, vt Iſraelitæ, qui nec beneficijs frangi nec flagellis emolliri potuerunt. Quintum interea & vltimum admonet Dominus ſtimulum huic populo tardiſſimo, vt ipſi ſibi rebuſque ſuis tandem conſulerent, pietatemque auitam & diuinum cultum, iam tot malis & tanta calamitate expergefacti, opportune repeterent. *Immiſi in vos mortem*: Hebraïcè habetur peſtem in via Ægypti. Cum Iſ-

*Ioan.* 18.
*Ioan.* 10.
*Cant.* 1.
*Exod.* 42.

raëlitæ penuria ciborum laborabant, in Ægyptum frumentandi cauſa proficiſcebantur vt fami vrgenti mederentur, quibus Dominus Deus peſtẽ malum ne quidem fame leuius minitatur. Quaſi diceret, famis flagello quo vos percutiam non poteritis vtique mederi. Nam cùm in Ægyptum aliquos miſeritis, peſte illos percutiam, ita vt in itinere infecta re morientur. Mira res ac monſtri ſimile vt cum diuina iræ flagella ſentimus, omnia potius tentamus humana media ( vt hîc videre eſt) quàm per pœnitentiam ad Deum redeamus. Sunt qui iſta intelligunt de iis qui Ægyptum petierànt implorandi auxilij cauſa aduerſus hoſtem, quod à Deo vetitum fuerat, atque per Hoſeam prædixerat *Hoſ. 7. & 9.*
tales vindicem Dei manum non euaſuros. Memphis, inquit, colliget eos, Ægyptus ſepeliet eos. Qui Deum Opt. Max. colunt, ad brachium carneum confugere non debent, nec in principibus confidere, ſed omnem ſpem in Deo, iuxta illud Pſal. Iacta cogitatum tuum in Domino, id eſt, *Pſal. 36.*
collocare. Græci & Vngari, qui Turcarum principem auxilij poſtulandi gratia adierunt, manum Dei tandem vindicem ſenſerunt, quam ſeditioſi Galli Gnoſtici non

effugient, qui Germanorum hæreticorum opera in furẽtibus bellis ciuilibus vſi ſunt. Alii iuxta viam Ægypti metaphoricè interpretantur, id eſt ad eum modum quo
*Num.11.* verbis in deſerto egreſſis ex Ægypto, pe-
*Pſal.77.* ſtem immiſi, quum manna cœli reſpuebatis & aſpernabamini, atque carnes Ægyptias, pepones, cucumeres, cæpe & allia impie nefarieque deſiderabatis. Dei enim munera cum gratiarũ actione ſuſcipienda ſunt, & abſque murmurationibus. Vnde tot peſtes hac infelici & exulcerata tempeſtate exoriuntur, niſi ex bonorum Dei abuſu? Vix, ac ne vix quidem vnquam ſatiamur; quod ſi ſatiari contigerit, etiam murmuramus. Poſſemus quoque in via Ægypti ſic intelligere, more Ægyptio, id eſt, vt in Ægyptios quondam miſi, dum illic ageretis. Quaſi diceret: Vos qui populus electus quondam eratis, nunc more gentium tractabo. Cum peccatis noſtris Deum laceſſere non ceſſamus, meremur vt nobiſcum agatur ac ſi infideles eſſemus. Iuuenes eorum delecti, ſiue frumentandi ſiue poſtulandi auxilij gratia Ægyptum proficiſcerẽtur, quippe qui ad negotia gerenda ſunt aptiores, & hoſti reſiſtendum, ſi forte eis in itinere occurriſſet, hoſtili

gladio ſunt perempti. Differentiam huius populi punit, iuuenes ipſorum occidēdo, in quibus tota Reipublicæ ſpes poſita erat. Superioribus annis ſimile nobis contigit, quando vniuerſa fere Gallica pubes noſtra in exitioſis bellis ciuilibus gladio periit. Equi etiam quos lex multiplicare vetabat, veſtri, ait, quibus pubes veſtra vehebatur, in poteſtatem hoſtium venerunt, occiſis equitibus. Occiſorum autem cadauera, quæ ſub dio inſepulta remanebunt, grauem atque terrum odorem ſpirabunt, quem aſcendere faciam in nares veſtras, quas vel inuitas fœtor afficiet, cum claudi obturaríve non poſſint ſine maximo reſpirationis detrimento. Tanta erit hoſtis rabies vt non ſinat occiſos ſepeliri, quorum fœtor non ſolùm in nares tranſeuntium illac exhalabit, ſed & in nares veſtras. Maximæ certè ſunt indurationis & reprobationis indicia, cū flagellis ita acerbis quis non emendatur. Quotuſquiſque noſtrum inuenitur, rogo, qui vitam mutauerit in melius, etiam ſi fame, peſte & bello viſitauerit nos Dominus, ab eo tempore quo Catholicam Eccleſiam deſerentes hęreticorum nouitates ſumus ſequuti? Nunquam Occiduum Imperium tot & tanta

*Deut.17.*

mala expertum fuerat, quanta ſub Lutheraniſmo & aliis ſectis abhinc quinquaginta annis perpeſſum fuit. Sed hęc hactenus. Audiamus flagellum omnium grauiſſimum & duriſſimū. *Subuerti vos quemadmodum Deus olim ſubuertit Sodomam & Gomorram* : ſiquidem facti eſtis numero quàm pauciſſimi, & euaſiſtis tāquam torris ex incendio ereptus. Ita deploratæ res veſtræ futuræ ſunt, vt titioni ex incendio erepto ſimiles videamini. Vix rebus veſtris conſulere poteritis, vix, inquam, miſeram tueri vitam. Quando Deus leuioribus flagellis nos emēdare non poteſt, poſtrema & omnium grauiſſima admouet. *Subuerti vos*, id eſt, ſubuertam, res futuras ad vaticinij certitudinem atque conſtantiam per præteritum enuntians. Subuerſionem Iſraelitarum ( qui tantis malis excitati veternum non exuerant) minatur faciendam, vt ea quæ Sodomeorum & Gomorreorum extitit. Non eſt neceſſe vt ſimilitudo per omnia quadret, & ignis deſcenderit de cœlo qui omnes Iſraelitarum regiones cōſumpſerit, & vt in lacus verſæ eſſent vt Sodoma & Gomorra, ſed vt in aliquibus teneat. Ad hæc ſcriptura hyperbolis vti ſolet ad grauiſſimam vaſtitatem

indicandam,vt Eſaiæ cap.13.vbi grauis Babylonis ruina prædicitur, quæ more Sodomæ & Gomorræ euertenda foret,& tamen ignė cœlitus demiſſo ac ſulfure, nec Babylon nec Samaria euerſa legitur. Fuit in primis admirãdũ & formidabile exemplum toties in Scripturis repetitum, illud videlicet quinque vrbiũ incendium, quod quidem Scriptura proponere ſolet, quando Dei iram incutere vult hominibus in ſuis peccatis ſtertẽtibus & ſecuris. Quemadmodũ enim pauci ex illo incendio ſunt ſeruati, vt pote Loth & filiæ eius:ſic Deus paucos ex Iſraelitis ſeruauit, ſiquidem vt pugnaret cum populi malitia, & oſtenderet fœdus ſuum non penitus irritum, & ſic in promiſſis fidelem. Nihil ſane ipſa cruce apud pios efficacius,cum eadem apud impios omnia quotidie peiora fiant. Poſtquã enim Iudęi reduces facti ſunt à Babilonica captiuitate, Zacharias pronuntiauit ſummum ſacerdotem torri ab incendio erepto ſimilem: cui Gallia noſtra, ne dicam maxima Chriſtianæ ditionis pars, poſt tot bellorum tumultus & barbarorum incurſiones, quæ diuinam aperte in nos indignationem teſtantur, ſatis appoſitè comparari poteſt. Non dubium eſt quin torris *Gen.19.*

ſimilitudine ab incendio ſaluati, voluerit ſuperſtitum paucitatem ex tantis malis & cladibus indicare. Qua loquendi forma
Eſa.7. vtitur Eſaias, cum duos reges, ſcilicet Iſrael & Syriæ duas titionũm fumigantium caudas appellat. Rogandus eſt Dominus Deus ne nos in ira ſua caſtiget, imo ſpiritu ſuo nos trahat, vt cladibus quas iam per-
Luc.13. peſſi ſumus, meliores euadamus. Verendũ eſt ne hortulani Euãgelici inſtar dicat nobis Dominus, quod & vinitori; Ecce anni tres sũt ex quo venire ſoleo quęrens fructũ in hac ficu, & tamen non inuenio: Succide ergo illam, quorſum etiam terram occupat, & inertem reddit? Si pleno ſuo iure vteretur, ſtatim ſeueriter in nos, qui nec vllis beneficiis, nec vllis flagellis meliores efficimur, animaduerteret: ſed clementer audit cultorem humiliter reſpondentem, Domine dimitte ficum illam & hoc anno, vſquequo fodero circa eam & miſero ſtercus. Audiamus Dominum patienter expectantem & bona conſulentem, & quo magis affligit, eo propius ad eum accedamus. Si obuiauerit cruce & ſupplicio, occurramus fide & pœnitentia ſeria. Non enim vitamus ſupplicia crucem fugiendo, ſed obuiam corde contrito & hu-

miliatò eundo. Quis enim vnquam vicit hoſtem terga vertendo? Pugnemus ergo non armis carnalibus, ſed fide, precibus & pœnitentia. Solent enim paſſim prophetæ, vbi grauiſſima quæque minati ſunt, ne populus in grauitate malorum deſperet, aliquid cõſolationis miſcere, quo vniuerſi ad pœnitentiam inuitẽtur: in quo quidem maximè relucet diuina bonitas & clemẽtia. Subdit igitur vates. *Poſtquam autem hæc fecero tibi*, quæ ſcilicet me facturum eſſe conteſtor, *præparare in occurſum Dei tui Iſrael*, id eſt, ſtude redire in gratiam, & præpara atque compone te in occurſum Dei tui, ô Iſrael. Inuoca Dominũ Deũ tuum, omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. *Ioel. 2.* Ac ſi diceret: Quum in hæc mala quæ tibi prædixi, incideris, ſaltem fide, pœnitentia, precibus & lachrymis mihi occurras, quandoquidem redire noluiſti, antequam immiſiſſem. Veniẽtem ad te Dominum omni animi & corporis impetu amplectaris. Et ſi ſero, tandem tamen reſipiſcas. Quia ergo hæc tibi omnia mala videnti infligo, maiora etiam infligere paratus, ni reſipiſcas, age occurre mihi Deo tuo reſipiſcẽtia. Sunt qui ironicè, vt Symmachus & Aquila, hoc hemiſti-

chium interpretantur. Quaſi diceret vates: Quum hæc aduerſum te decreuerit Dominus, iam reſiſte ei, arma te in eum, ſi eius in te impetum amoliri poſſis. Omnes pacis cōditiones tibi propoſitæ ſunt à Domino, ex ſummorum & cordatorū Imperatorum more, qui belli principio mitia & leuia omnia tentāt, antequam extrema & grauiſſima quæque experiantur. Cùm igitur ad pacis conditionē deſcendere noluiſti, extrema & grauiſſima admouere cogetur. Metire interea vires tuas, copiáſque omnes expende, an par eſſe ad ſuſtinēdam pugnam poſſis, tecum cogita. Sed quis Deo reſiſtere poteſt? Melius eſt vt æquo animo feras crucem tibi impoſitam, & te præpares in occurſum Dei, ex animo eius auxilium implorans, vt ne ſummo iure tecum agat, ſed ſua clementia te protegat, te reformet, fidem tribuat, qua eius promiſſiones toto pectore valeas amplecti. Si
1.Cor.11. noſmetipſos iudicaremus, ait Apoſtolus, non vtique iudicaremur, id eſt nō puniremur, nec Dominus Deus pœnas de nobis ſumeret. Ne nobis igitur parcamus, ſed iudicemus, arguamus & cōdemnemus, ſi nos in occurſum Dei noſtri paratos eſſe velimus. Nullam prorſus excuſationem

prætexere potuiſſent Iſraelitæ, quo minus ſe in occurſum Dei ſui per pœnitentiam præpararent, cum diuinorum operum cōſideratione ſpem de peccatorum remiſſione confirmare poterant. Nullo pacto dubitandum erat, quin Deus efficeret quod pollicebatur, quum longe maiora fecerit in hac mundi compage. Ipſe enim montes ſolidiſſimos & validiſſimos fecit, quos nemo ſuo loco mouere poteſt. Facit & ventum, rem maxime mobilem, tenuiſſimam ac leuiſſimam, miræ tamen & incomparabilis potentiæ & efficaciæ eſt, vt robuſtiſſima quæque & alioqui firmiſſima deiiciat & proſternat, vti arbores altius radicatas, ædificia, montes etiam ipſos. Neque tamen hic elatior eſt, vt hominem ſpernat, imò ad illum ſeſe demittit, nuntians ei ac indicans quod ſit eloquium ſeu cogitatio vel meditatio ipſius. Hebraicè eſt, Et annuntians homini quæ cogitatio eius, id eſt homini indicat, & quid faciendum ipſi ſit, & quid omittendum. quaſi diceret, Quicquid ille agit, opus, negotia & totum ipſius inſtitutum, quicquid denique ille occulte animo verſat & tractat; intimos ſiquidem humanæ mentis receſſus exploratos habet & perueſtigatos: quicquid de-

nique interius voluit ille ſecum. Propterea dicit, Annuntiat homini cogitata ſua & inſtitutum, per prophetàs ſcilicet, per quos quamlibet occultata hominum acta (quæ illi forſitan ignota eſſe putarent) illis indicat: ea carpens, & pœnas eo nomine, ni reſipiſcant, prænuntians. Prauum eſt
*Hier.17.* cor hominis, dicebat Hieremias, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes. Idem ipſe eſt qui auroram, per quam homines ad ſua obeunda munia excitat; & crepuſculum, vt ſe quieti & dulci ſomno tradāt, facit. Ipſe etiam ſuper faſtigia terræ, loca ſcilicet hominibus inacceſſa & inuia calcans graditur, maior omni celſitudine, & omnia quātumuis excelſa ſibi ſubiiciens; quicquid mundus admiratur, deſpicit,
*Luc.1.* & conculcat pedibus. Deponit potentes de ſede, & exultat humiles faciliori negocio, quàm cum auroram ſplēdidiſſimā & lucidiſſimam mane ortam tenebris & nebulis repente obducit. Nomen autem ei eſt, ſi ſuo ipſum nomine appellare voles, *Dominus Deus exercituum.* Inferorum ſuperorúmque exercituum copias omni ad victoriam arte inſtructiſſimas, dicto audientes, habet. Cuius ſuperni & inferni exer-

citus, nõ ſecus ac Imperatoris & ducis ſui milites, agnoſcunt imperium. Huius ergo conſiderata tanta potentia & magnitudine, æquũ ſane eſt, vt ei omnes occurramus, atque in ipſius occurſum omni cũ ſubmiſſione præparemus: Cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

## Homilia 14.

*AVDITE verbum iſtud quod ego leuo ſuper vos planctum. Domus Iſrael cecidit, & non adijciet vt reſurgat. Virgo Iſrael proiecta eſt in terram ſuam, non eſt qui ſuſcitet eam. Quia hæc dicit Dominus Deus, Vrbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum: & de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem, in domo Iſrael. Quia hæc dicit Dominus domui Iſrael: Quærite me & viuetis, Et nolite quærere Bethel, & in Galgalam nolite intrare, & in Berſabee nõ tranſibitis: quia Galgala captiua ducetur, & Bethel erit inutilis. Quærite Dominum, & viuite, ne forte comburatur vt ignis domus Ioſeph, & deuorabit & non erit qui extingat Bethel.*

SI Romani Imperatores ampliſſimas ciuitates ſibi inimicas fleuerint ruituras, antequam illas armis expugnaſſent, vt Marcus Marcellus Syracuſas, & Titus Hieruſalem, quanto ma-

gis vates noſter perpetuam Iſraelis populi ſui captiuitatem flere debuit? Charitatis enim lex eſt, vt flentibus miſeris & afflictis compatiamur, &, vt Apoſtolus dicit, cum flentibus conlachrymemur, & cum afflictis cōgemiſcamus. Si verò nobiſcum quodam neceſſitudinis aut familiaritatis aut cōſuetudinis vinculo iungantur, qualem, amabo, modū adhibemus, Abraham pro Sodomitis (quos cum Lotho nepote ſuo quondam à regibus hoſtibus vi eripuerat) ſtirpitus perituris fleuit ac lachrymatus eſt. Nonne & Samuel fleuit, dum Saulem (quem in primum Hebræorum regem inaugurauerat) regni faſtigia amiſſurum præuidebat? Hieremias pro Iudæis ruituris querulas inſtituit Lamentationes. Chriſtus à lachrymis abſtinere non potuit, futuram Hieroſolymæ ciuitatis ampliſſimæ & ornatiſſimæ ruinam grandem, & vt ita dicam, tragicam prænuntians. Nō abs re igitur vates de populo ſuo quaſi funditus ruituro lapſuróque Lamentationē ſeu lugubrem orationem inſtituit. *Audite*, inquit, *ſermonem hunc*, quem ego attollo, *leuo*, aſſumo id eſt edo& inſtituo de vobis lamentationem. Audite ſententiam hanc, quam ego lamentabilem de vobis

*Rom. 12.*
*Gen. 3.*
*Gen. 18.*
*1. Rex. 15.*
*Luc. 19.*

(Deo ſcilicet iubente) fero, domus Iſrael. Sed aliquis fortaſſe dicet: Quid luget vates? nonne potius lætari debuerat ob iuſtiſſimam incredulorum punitionem? Lætabitur, teſte Dauide, iuſtus cum viderit vindictam. *Pſal. 57.* Dupliciter conſiderare debemus diuinam vindictam: vel quatenus a peccatis excitatur, vel quatenus iuſta eſt: Iuſti quidem lætantur ob iuſtam Dei vindictam, deflent interea ſortem eorum, qui ob peccatum, vindicem in ſe Dei iram exacuerunt. Pij lugent profecto & impij, ſed alia & alia ratione; illi ob flagellorum cauſas, vt pote incredulitatem, & eius fructus, iſti vero flagella duntaxat timẽt, propterea ad planctum mouentur. Vatis igitur fletus quo populi ſui peccata & ſortem deflet, ſanctiſſimus eſt, cuius generis extitit Ezechielis plãctus ſuper Tyro & Pharaone Ægyptiorum rege. *Ezech. 27. & 32.* Quis tam eſſet iſto tempore durus & ferreus? quis tam inhumanus, qui non huius regni Gallici miſerè labentis calamitate commoueretur? Ecquis eſſet qui non lachrymaretur? Siccis interim oculis quamplurimi hoc quondam florentiſſimum regnum ruere conſpiciunt. Sed quid dico? immo vero, qui illud ſartum tectumque tueri ac def-

ſendere deberent, miſere ſpoliant, expilant atque diripiunt. Hæc hactenus. Audiamus rationem ob quam vates ſermonem adeo lugubrem inſtituerit. *Cecidit, nō addet vt ſurgat virgo Iſrael.* Sic rem narrat, quaſi iam accidiſſet, præterita pro futuris, ad maiorem certitudinem, & vt rem magis ac magis exprimat. Virgo Iſrael hactenus inuicta & præpotens, deuincetur atque corruet, non amplius ſurrectura: funditus enim deperdetur, humi proiecta ac proſtrata iacebit, & nō erit qui eam erigat. Quaſi diceret, ita collapſum eſt & euerſum regnum Iſraeliticum, vt iam vltra priſtino ſplendori & ſtatui non poſſit reſtitui. Quum regnum aliquod diſſidiis inteſtinis ardet, neceſſe eſt tandem ruat. Et cum ſemel à ſuo faſtigio ceciderit, vix ac ne vix quidē amplius erigi poteſt. Hoc clarúm & apertum fit ex iſta Iudæorum Republica, & Imperio Romano. Deus à populo Chriſtiano auertat iſta diſſidia, quibus iam multos annos torquetur Eccleſia. Virginem, hunc populum ſceleratum vocat, vel vt illis in mentem veniret priſtini ſtatus, nimirum, quando per verbum Domini vni viro adiunctus erat, vt vni tantum & vero Deo adhęreret, quem
quidem

quidem relinquens poſt idola impudenter fornicatus eſt: Vel quia antea externorum dominorum tyrannidi non paruerat, totum regnum, nec ſubactum à quoquam fuerat, vitiandum tandem & comprimendum ab Aſſyriis. Rem aliquam virginem vocamus cum ipſa inuiolata, intacta & integra remanſit. Sic dicere ſolemus de vrbibus quę in Hugnoſticorum manus non venere: Sunt adhuc virgines, vt Lutetia Pariſiorũ, Tholoſſa, Ebrudunum & perpaucæ aliæ. Virgo quondam fuit Gallia noſtra, vt Diui Hieronimi temporibus, quum monſtro carebat, ſed tunc temporis à nouis Vigilantiis, Berengariis, Seruetiſtis, & quam plurimis aliis nuſquam gentium viſis vitiata & conſtuprata eſt, qui illam ita deiecerunt, vt maxima cum difficultate in priſtinum ſtatum reſtitui poſſit. Decem iſtę tribus non redierunt ab exilio cũ aliis duabus, propterea vates dixit, Nõ addit vt ſurgat virgo Iſraël, ita proiicietur, vt caput amplius non ſit erectura: qua etiam loquẽdi formula vtitur Hoſeas, Voca, ait, eam abſque miſericordia, quia *Hoſ.* 1.
non addam vltra miſereri domui Iſrael, ſed obliuione obliuiſcar eorum. Poſtquã Iſraelitæ tranſlati ſunt in Aſſyriam regnã-

te Hoſee filio Ela vltimo decem tribuum rege, non reſtitutum eſt regni faſtigium, nec iuxta carnem reſtituetur. Quicquid igitur de decem tribuum reditu vaticinantur prophetæ, non ſunt ea quidem de externo reditu intelligenda, ſed de reductione interna & ſpiritali per Chriſtum, qui omnes diſperſos in vnam Eccleſiam
Ioan.11. Catholicam aggregat & reducit. Præterea vates id quod dixit prius Dei autoritate & ſententia confirmat. *Sic enim dicit Dominus Deus*. Vrbe educens mille bello aptos, vel ex qua mille ſolebant exire ad pugnam, reſiduos faciet centum, nongentis deperditis: Et quæ centum educere poterat, deperditis nonaginta, reliquos faciet decē domui Iſrael: id eſt tanta futura ſtrages vt quàm pauciſſimi reſidui futuri ſint. Quæ certè ruina non poteſt eſſe niſi maxima & irreparabilis. Quod ſi domus Iſrael iuxta carnem corruerit, vera tamen Iſraelitarū domus, id eſt electi tam Iſraelis, quàm aliarum gentium, perire non potuerunt, quum eos Pater Filio tradiderit
Ioan.6. ab æterno, nec illos, vt eſt apud Diuum Ioannem, foras eiiciet. Quamuis durè & auſterè hunc populum Deus caſtigaturus eſſet, nihilominus miſericordiarū ſuarum

antiquarum non obliuiſcitur,ad pœnitentiam in mediis etiam flagellis obſtinatos & induratos vocat. *Quoniam ſic dicit Iehoua, Quærite me & viuetis*. Pro ſua genuina erga homines bonitate & clemētia adhuc vos ad pœnitentiam & meliorem frugem inuitat. Quia vides, ô domus Iſrael, horrendam manum Domini proximam, ad illum per pœnitentiam ſeriam conuerte, illi te committas totum, verbum illius toto pectore amplectaris,ipſi inhęreas,& abhominare quicquid ab eo diuerſum fuerit. *Quapropter ne quæratis Bethel*, &c. Populus iſte pœnitentiæ veræ ac ſynceræ rationem ignorans, quoties ei à prophetis pœnitentiæ nomen inculcaretur, ad Bethel & Gilgal & aliquādo in Berſeba (quæ in tribu Iuda fuit & Simeonis) fana properabat longinquæ peregrinationis ergo, & vt illic cultus ſuòs fictitios, ſciſmaticos & hæreticos ſimulata deuotione perficerent; quaſi Deus huiuſcemodi placaretur: interea de fructibus pœnitentia dignis ne quid minimum quidem ſolliciti erant. Si Iſraelitæ recta receptum habuiſſent ad templum Hieroſolymitanum Deo ſacrū, illicque ſacra, vti lex præceperat, piè ſanctequc feciſſent, fructuſque pœnitentia

dignos adieciſſent, rem ipſi Deo gratiſſimam peregiſſent. Sic ſemper orthodoxè de viſitandis locis ſacris docuit Eccleſia. Scio equidem tria loca iſta celeberrima fuiſſe ob res ibi præclare geſtas. Nam in
*Gen.28.* Bethel Deus a Iacob conſpectus eſt, & ob id locũ iſtum ſanctum, videlicet domum
*Ioſu.5.* Dei vocauit. In Galgal, Circuncißio facta eſt, quę annis quinquaginta fuerat omiſſa, & ibi paſcha à filiis Iſrael celębratũ. In Ber
*Gen.26.* ſeba Deus Iſaac apparuit. & eam ob rẽ ipſe arã ibi extruxit. Locorũ autẽ iſtorũ ſancti-
*3.Reg.12.* tate & nobilitate Hieroboamus huius nominis primus Iſraelitarũ rex abuſus eſt ad nouos cultus erigendos & religionem. Ne igitur recens & nouum videatur hæreticos & prauos homines religione & rebus ſacris abuti, vt ſuis peſſimis affectibus indulgeant: Hæc tamen non obſunt, quominus in veteri & optimè inſtituta Eccleſia Chriſtiani templa & altaria erexerint in hiiſce locis, quæ vel martyrum paſſione vel ſepultura nobilitabantur, vbi ſacra faciebant, votáque ſua nuncupabant. Euſebius, Sozomenus, Theodoretus, Nicephorus, & omnes Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores hæc paſſim in hiſtoriis reliquerunt. Iſti cultus verbo Dei non aduerſan-

tur, vt illi quos Hieroboamus inſtituerat in Bethel, Gilgal & Berſæba. Et ideo vates eos qui Hieroboam erant vetat, non eos qui Hieroſolymis tunc, & Chriſtianorum nunc templis peraguntur. Illic profecto Deus in ſpiritu & veritate colēdum, *Ioan.4.*
& non in Bethel, vel potius Bethanen, id eſt iniquitatis domo, quæ hæreticorū eſt. *Ne quæratis Bethel*, id eſt vitulum Bethelinum qui ibi colitur, *& in Gilgal ne veneritis, & per Berſabam ne tranſieritis*. Berſaba erat in tribu Iuda. Monet igitur decem tribus ne vel illac tranſeant, quoniam iam ſatis apud ſe idolorum habebant. Notatione interea dignum cenſui etiam ſi Berſaba eſſet tribus Iuda, ſeſe tamen in decem tribuum ditionem dediſſe, & quia in earum confinio ſita erat, facile earumdem impietate infici paſſa eſt. Nobis ſummopere cauendum eſt ab iſtis locis, vbi vera & Catholica religio in diſcrimen abducitur. Si Galli rerū nouarum, pluſquam decet ſtudioſi ab iſtis locis abſtinuiſſent, in quibus falſa & adulterina religio exercebatur, non tot in peſtilentiſſimam hæreſim prolapſi fuiſſent, nec tantas inter Chriſtianos principes diſcordias miſerè conſeuiſſent. Sed futurum ſpero loca illa præcipua in

quibus ſua pernicioſa cōſilia tractarūt, tandem aliquando ruitura vt Bethel (vel potius Bethauen, id eſt iniquitatis domus) Gilgal & Barſaba. Futurum eſt, inquit vates, *vt Gilgal migranda ſit migratura*, id eſt planè exulabit. Galgalæi omnes in perpetuam abducentur captiuitatem, & Bethel deſolabitur, euertetur, & in nihilum redigetur. Sed mirum cuipiam videri poſſet, quare Barſaba hîc non nominatur, quum de euerſione locorum idololatriæ addictorum vates agit. Vel hoc fit, quia in eo nomine paranomaſiā aut venuſti quippiam non inuenerit, vt in aliis. Nam pulcherrima paranomaſia & alluſio nominū ſignificationis contrariæ in iſta comminatione Hebraicè apparet הַגִלְגָל גָלֹה יִגְלֶה vt ſi quis lingua noſtra vernacule diceret, *Paris* (quod Deus auertat) *periſſant perira*, vel *Rouen ruinant ſe ruinera*: & בֵית—אֵל quod ſonat domus Dei, iam ſit בֵית אָוֶן domus vanitatis & nihili, vt interdum à prophetis per contemptum appellatur. Vel ideo Barſaba non nominatur, vt placet Diuo Hieronimo, quòd ea vrbs quum ex Iuda eſſet, cum regno decem tribuum capta & euerſa non fuerit. Deus qui non purè colitur niſi in

*Hagilgal galo iigle.*

*Beth auen.*

Catholica Eccleſia, apud ſchiſmaticos & hæreticos minimè quærendus eſt. *Quærite ergo Dominum* vbi vult quæramus illum, *& viuetis*, alias erumpet veluti ignis in domum Ioſeph, quo parente vos Erphraitæ plurimum vobis placetis. Dominum per pœnitentiam præueniatis, ne permeet & irrumpat impetu ſummo in domum Ioſeph, id eſt decem tribus, more ignis latius graſſantis & omnia depopulantis, *nec ſit qui extinguat eum in Bethel.* Hæc repetitio, qua ſæpe inculcatur, vt veſtigiis omnibus quærant ac cõſectentur Dominum, non videbitur inutilis, quia ſurdi & obſtinati erant. Nec etiam affirmatiuè tantùm iubet vt Dominum quærant, ſed prohibét quoque ne idola colant. Nam quemadmodum præcipitur Dominum Deum adoremus, vetatur ne Deos alienos habeamus. Abiectis igitur omnibus falſis religionibus Deum verum & vnicum in Eccleſia piè & religioſè colamus: Cui laus, honor, & gloria in ſecula ſeculorũ. Amen.

*Deut.6.*
*Exod.20.*

*QVI conuertitis in abſinthium iudicium, & iuſtitiam in terra relinquitis. Facientem Arcturum & Orionem, & conuertentem in mane tenebras, & diem in noctem mutantem: qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ: Dominus nomen eſt eius. Qui ſubridet vaſtitatem ſuper robuſtum, & depopulationem ſuper potentem affert. Odio habuerunt corripientem in porta: & loquẽtem perfecte abominati ſunt. Idcirco pro eo quod diripiebatis pauperem, & prædam electum tollebatis ab eo: domos quadrato lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis: vineas plantabitis amantiſsimas, & non bibetis vinum earum. Quia cognoui multa ſcelera veſtra, & fortia peccata veſtra: hoſtes iuſti accipientes munus, & pauperes deprimentes in porta. Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malũ eſt.*

1. Joan. 2. SCITE admodum probeque Diuus Ioannes Apoſtolus dixiſſe videtur, eos mendaces nec veritatem in ipſis eſſe, qui Deum ſibi notum dicunt, & tamen eius præceptis non parent. Vates igitur noſter decem tribus, quæ Deum præ omnibus aliis ſibi notum eſſe, vt Hæreſiarcharum natio factitare ſolet, gloriabantur, menda-

cij prorſus conuincit, quum non ſolum in Deum, ſed etiam in proximos turpiter peccarent, quos tyrannicè iniquis iudiciis opprimebant. Superiori concione intelleximus ſe impiis ſuperſtitionibus polluiſſe: nunc vero de peccatis craſſioribus agit, quæ contra proximum, abiecto omni ſtudio recti & æqui, ſceleratè & impiè concipiebāt & admittebant, videlicet pauperum oppreſſionem, & iudiciorum peruerſionem; ſummatim repetens quæ in ſuperioribus de vero Deo dixerat, quem relictis idolis ſummè coluiſſe oportuerat. Primum iniuſtitię & iniquorum iudiciorū Iſraelitas accuſat, cum ait, *Qui conuertunt in abſinthium iudicium*; quaſi diceret: O ſceleratos viros, qui conuertitis iudicium, quod omnibus ſuauiſſimum & iucundiſſimum eſſe debuerat, in rem amariſſimā, id eſt acerbiſſimam iniuriam commutatis, iudicium inquam in tyrannidem peruertitis, quouis abſinthio amariorem, dum pro iure reddendo ſumma iniuria pauperes opprimitis, & iuſtitiam ſeu æquitatem, omnis humanæ felicitatis parentem nihil curantes humi proſternitis & deſeritis. Hij qui a vera ſynceraque religione deficiunt, & ſuperſtitiones atque hæreſeω̃n

abominationes ſemel amplectuntur, non hîc ſiſtũt gradum, ſed in peius vtique prolabuntur, vt de omnibus ſectis videre licet, quæ tandem ad atheiſmum vſque perueniunt atque erumpunt. Quamuis enim cuncti a minimo vſque ad maximum, a plebe vſque ad principes variis peccatis eſſent obſtricti, primores tamen hoc in loco præcipue taxat & carpit, a quibus tanquam a capite morbi in cætera membra diffluunt. Eorum intererat vnicuique reddere quod ſuum erat, vt omnes in pace, qua nihil dulcius, & ſumma quiete vitam degerent, ſed ius & æquum peruerterunt, & quouis abſynthio amarius reddiderunt, his modis conuictum humanum tollentes & ſocietatem. Si enim principes & magiſtratus qui iuxta miniſterij ſui rationem, facere iudicium & iuſtitiam debuerant, ſontes magnanimiter (rebus etiam agitatis) puniendo & inſontes deffendẽdo, malos vlſciſcendo, & bonos honoribus afficiendo, iudicia peruertunt, & æquitatem humi iacere permittũt, quid ſani, quid iucũdi in vita humana reperiri poteſt? Quid amplius regna quam ſæua & impia latrocinia? Quid ciuitates liberæ quam crudelis & intoleranda tyrannis? Sciant ſe non

*Rom. 13.*

fruſtra gladium portare, & Dei eſſe mini-
ſtros vt terrori ſint male agentibus, laudi
vero & præſidio iis qui bene & ſtudioſe
agunt. Iudicent populum ſine vllo perſo- *Eccleſiaſtic. 5.*
narum delectu. Iuſtifica puſillum & ma-
gnũ ſimiliter (ait ſapiens) quam Græci ele-
ganter προσωποληψίαν vocãt, quæ & recto iu-
dicio aduerſatur, videlicet cũ iudex quiſ-
piam conſiderat ea quæ ſunt extra rem &
cauſam, vt Decemuiri, Liuio autore, qui *Dent. 1. lib. 3.*
in exercendis iudiciis erant non cauſarum
ſed perſonarum. Ne crudelitati ſuæ ſatiſ-
faciant, imo iuxta legis præſcriptum iudi-
cent. Ne pluris faciant ſuas conſtitutiones
& edicta, quam diuina mandata, alioqui *Pſal. 18.*
æqua & iuſta iudicia, quæ melle & fauo
dulciora ſunt, quauis amaritudine redde-
rent amariora. Sed hæc hactenus. Nemo
igitur miretur ſi Deus in hunc populum
tã crudeliter ſæuiat, qui iudicium & iuſti-
tiam reiecerat & funditus exterminaue-
rat. Sic viduæ, pupilli atque pauperes vni-
uerſam conſolationem amiſerant, & re-
medium quo poſſent violentæ tyrannidi
occurrere. Vt autem principes iſtos iuſti-
tiam negligentes terreret & ad meliorem
frugem reduceret, Dei potentiam, magni-
tudinem & prouidẽtiam proponit in me-

dium, quippe qui peccata tam grauia non ſinet multa. In hunc modum poëtæ, qui prophętas ęmulantur, diuinam potentiam ſcelerum vindicem pulchrè & magnificè deſcribere ſolent, vt mortales ab huiuſmodi flagitiis abſterreant. Vult ergo vates vt
*Pſal.32.* Iſraelitæ relictis idolis Deum omnipotentem, qui amat iudicium & iuſtitiam ſequantur. Nam ille ipſe eſt qui
*Chima* כְּסִיל *arcturum*, pleiadas (vel vt Latini dicunt) vergilias, veris nuntias *fecit* & כִּימָה *Orio-*
*Cheſil* *nem* ſidus moleſtum & aduerſum, & vt paucis dicam, in omnem cœli militiam imperium habet. Vt autem ipſius potentia magis ac magis vobis innoteſcat, atque eius prouidentia, qua omnia in vſum hominum & totius mundi commoditatem facit, ipſe eſt inquam, qui *tenebras* noctis denſiſſimas ferales & letales in clarum *mane*, id eſt lucem ſplendidam conuertit, & rurſum ſub veſperam nocte diem obteneбreſcere facit. Qui marinas aquas ſalſas & amaras vocando in ſublime attollit, vt vapores ex illis velut excolatos & eliquatos in terræ ſuperficiem dulces reffudit, omnia vſibus hominum ritè accommodans. Quod ſi nomen eius, ipſis etiam inferis tremendum ſcire cupis יְהוָה *Ie-*

*boua eſt nomen eius*, quod ſubſtantiam & eſſentiam Dei ſignificat, neque cum re vlla alia commune habet. Principes qui ſuis viribus confidere ſolent, ad pœnitentiam ſeriam exhortari videtur, argumēto à potentia, magnificentia & prouidentia Dei petito. Quod ſi illum ipſum non quæſierint, qui rerum vices & temporum in natura & hac orbis machina, cœlo, aëre, mari, & terra ita temperat, nulla potentia, nullum robur, nullæ vires poſſunt eos ab imminenti periculo liberare, vt ſunt exēplo Ægyptiorum rex Pharao, Gigantes terræ Canaam, atque cæteri alij tyranni. Is vaſtatori, per quem deuaſtabimini, robur addet aduerſus robuſtos & rebellare volentes, ita vt velitis nolitis in munitiones veſtras irrupturus ſit. Qui enim adeo potens eſt, quomodo inter homines non efficeret, vt etiam imbecillior, quum voluerit, fortiorem ſuperet à quo victus fuerat, aut alioqui vinci poſſe iuxta communem morem videbatur? Imbecillem inquam, reſſocillatur & communit aduerſus & ſupra fortiorem, vt ei præualeat. Non eſt quod veſtris viribus nunc præfidatis, & omnes alios præ vobis contemptui habeatis. Deridet hîc obliquè prophe

ta inanem fiduciam, qua turgebant Iſraelitæ, quum viderent ſe clauſos eſſe munitis vrbibus, haberéntque ſua prçſidia & opes: ſed dicit hoc totum fore illis inutile, vbi Deus excitauerit robuſtos prædones, qui vrbes munitiſſimas facillime & ſine negotio demolientur. Non enim exiſtimãdum eſt cum his qui pauperes opprimunt, omnia temerè fieri, ac ſi Deus rerũ omnium nullam curam haberet. Nam qui vices temporum permutat, nimirum vt aſperitatem hyemis ſequatur veris temperies, dies noctibus ſuccedant & tenebræ luci, peccata non ſinet inulta. Quod ſi ſerio cogitarent & ſæpius in animo reuoluerẽt ij pauperum expilatores, non ſic in humiles & abiectos inſanirent, ſed longe comius ac æquius & viuerent & agerent. At vt pecudum more viuunt, ne dicam turpius, pecudum quoque morte mori exiſtimant. Diſcant ex miris Dei operibus iuſtitiam, moniti, & non cõtẽnere Diuum, quãdoquidem ſicut diem (qui in ſcriptura ſymbolum felicitatis eſt vt & tenebræ aduerſitatis) cito in obſcuriſſimas tenebras, ſic proſperitatem in aduerſitatem commutat: Id in magno diluuio factitatum agnoſcimus, quo vates reſpexiſſe vi-

detur, cum hîc etiam aquarum meminerit, quas Dominus Deus vocat & ipſius iuſſa capeſſunt, vt cæteræ creaturæ, vbi ſolus homo obedire recuſat. Nonne ſponte claudit oculos quominus Dei per quammaxima opera contempletur? Scio philoſophos quoſdam pluuiarum rationes aſſignare, vt pote vapores attrahi vi Solis tam ex terra quàm ex mari, fateantur tamen neceſſe eſt iſta non ſine diuino nutu fieri. Nam quare potius hodie quàm heri? quare potius hyeme quàm æſtate, quum vis Solis fortior ſit æſtatis quàm hyemis tempore? Terra poſſetne aliud elementum, nempe aquæ ex ſe ipſa generare, niſi Deus efficeret? Omnipotentiam igitur diuinam in effectis agnoſcamus & vt par eſt ſummè reuereamur. Prophetas interea, quorum intereſt publica peccata diuinis verbis publicè ſuggillare, atq; iudices quos Deus in vindictam malorũ, laudem vero bonorum mittit, propter ipſum honoremus, ne cum Iſraelitis accuſemur, qui perfecte ſimpliciter & candide arguentes peius cane & angue oderunt. *Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfecta abominati ſunt.* In portis enim quæ vt muri ſancti ſunt, iudicia olim exerceban-

*Rom. 13.*

*Amos 5.*

*Zach.8.* tur,ſicut ſcriptum eſt, Veritatem & iudiciũ pacis iudicate in portis veſtris, vt ſanctè iudicare ob loci ſanctitatem admonerentur ij qui illic pro tribunali ſedebant. Pręterea locus ille ciuibus & maxime hoſpitibus & agricolis extra vrbes degentibus peropportunus erat, qui vt ſtatim & ſine negotio iuſtitiæ locum offendentes, iniurias ſibi illatas deferrent, & quamprimum ad operas ſuas redirẽt: Locus oſtendebat cito & ſine dilatione iuſtitiam vnicuique reddendam, ne differendo & procraſtinando ciuis aut hoſpes totam ſuam ſubſtantiam inſumeret, vt modo fit, in lite conſtituenda & defendenda. Ad quid nunc tot rabulæ forenſes ſanguiſugæ, qui ſinuoſis cauillationibus ius in lõgum tempus protrahunt vt pauperum ſanguinem nedum ſudorem ſugãt & exſorbeant? Nouorum magiſtratuum in dies augetur numerus, inexplebili regum ac principum auaritia, apud quos omnia venalia ſunt: interea neſcio ſi ius vnquam negligentius adminiſtratum fuerit. Druides noſtri ſemel in anno omnium Galliarum lites breui tempore componebant, cauſidicorum auctus prope in infinitum numerus lites interminabiles & æternas conſtituunt.

Ad

Ad hæc operepræcium erat in loco patenti & publico exercere iudicia,vt ſi qua iniuria inſonti fieret ab omnibus conſtringeretur. Argui iſtos palã & publicè oportebat, qui palam & coram omnibus peccabant,ac iudicia peruertebãt. Arguebant in porta vel prophetæ qui de religionis rebus componendis inter tot diſſidia in iudiciis frequenter perorabant, vel conſiliarij veri ac ſynceri, qui pro ratione legis diuinæ ſine muneribus aut vllo perſonarum delectu iudicabant, quique illud Comici poetæ neſciebant, Aiunt,aio, negant,nego. At illos viros ſanctos probos & pios odio pluſquam Vatiniano Iſraelis principes proſequebantur. O quàm graue peccatum eſt odiſſe eum à quo reprehendimur, & omnem reſpuere correctionem, atque loquẽtem integrè ac ſyncerè abominari: infirmi qui medicos ſalubria conſulentes auerſantur, quomodo ſanari poſſent? Qui hodie rectè conſulunt, iuſtè iudicant,& liberè de negotiis pronuntiant,ab aulicis præcipuè læſæ maieſtatis accuſantur. Nónne iſtud eſt odiſſe in Curia reprehenſionem & ſincerè loquentem abominari? vſque adeo ab aulis principum veritas & dicendi libertas exulant. Volunt ipſi

eſſe ſacroſancti, omnem prorſus correctionem reſpuunt, & quoniam omni iudicio ſe exemptos eſſe exiſtimant & legibus ſolutos, imperia in tyrãnidem ac effrenem licentiam conuertunt. Longe ſiquidem grauius & atrocius peccatum iudicatur potentum peccata reprehendere, quàm quod illi in leges & Deum ipſum cõmittunt. Hinc pauperum oppreſſio, qui nouis oneribus, tributis & exactionibus in dies grauantur, vectigalia iniqua grauiáque ſimul & vſuræ multiplicãtur, ex quibus potentes domos exciſo atque polito quadratóque lapide ſumptuoſas & magnificas ædificant, atque vineas optatas & elegantes plantant & conſerunt. Sed diu non degẽt in his domibus, nec vinearum elegantium vinum bibent, quia tenues deprędantur, & munera, vetãte lege, accipiunt. Qui

*Leu.26.* *Deut.28.*

ex pauperum oppreſſione & direptione cœlatas, lęuigatas, ſuperbáſque domos, non ad neceſſitatem tantum, ſed ad ornatum & delicias comparatas ædificant, & amœniſſimas vineas plantant, earum vſu & commoditate tandem orbabũtur. Prædatores ipſi dicebat Iſaias, prædæ ſunt ex-

*Iſa.33.*

ponendi: Quis non videt diuitias, maxime ſi male partæ fuerunt, vagas & volubi-

les eſſe? Qui hodie maximis opibus abũdat, cras Hydro & Codro miſerior erit. Hyemis tẽpus ipſis diuitiis non eſt inconſtantius, quas velint, nolint auari, relinquere oportet & ſæpius prodigis hæredibus, qui citò omnia ſibi relicta diſperdent ac diſſipabunt. Quod ſi huiuſmodi bonorum copiis male acquiſitis velint ſuarum familiarum nomina in filiis & natis natorum perpetua reddere, continget ipſos liberis carere, vel ſi habuerint, adhuc immatura ætate morte præripi. Teneamus igitur hanc mercedem repoſitam eſſe huiuſmodi prædonibus & iniuſtis raptoribus, vt poſtquam multas diuitias vndiquaque vi & violentia corraſerint, iis ipſis priuentur, nec illis Deus diu frui ſinat. Quamuis pauperes haſce iniurias in hoc mũdo pati cogantur, nemine reclamãte nec defendente, neque etiam ſapiens & intelligens aduerſus potentium violentias & rapinas mutire audeat, abundè tamen nouit Deus multa ipſorum ſcelera atque grauiora crimina; & præcipue cum pauperum ius in tribunali acceptis muneribus peruertunt, ſe præbentes iniquos & aduerſarios eis nimirum quorum cauſa iuſtiſſima fuerat. Sunt enim Deo intimi animorum receſ- *Eccl.4.* *Reg.16.*

ſus explorati, & penetralia cordium humanorum peruia: Pauperes quidē & notarios fallere poſſunt, Deus vero falli nequit. Is ipſe eſt qui vt plurimū aufert pios ſynceroſque tum prophetas ac doctores, tum etiam iuſtos & æquos conſiliarios, atque in ipſorum locum paraſiti, adulatores & ſtulti ſufficiuntur, qui ſeipſos & alios in
2.Tim.4. extremum exitium coniiciunt. Æquum eſt vt qui ſanam doctrinam non ſuſtinent, ſed iuxta concupiſcentias ſuas coaceruant ſibi conſiliarios & doctores, ſatisfacientes illorum cupiditatibus, priuentur piis ac prudentibus viris; qua pœna grauior, vix rebuſpublicis ac regnis contingere poteſt, quum benedictione rectorum fortunetur ciuitas. *Prudens*, inquit, & is qui ſapit tam periculoſo tēpore, quo adeo iniqui ſunt & corrupti iudices aliiq́; preſertim primarij viri tā perditis & deploratis morib⁹, vt nullam correctionem ferant, *ſilebit*. Nam ſe luſurum operam videt, ſi eos monere pergat, quos caſtigationis & correctionis impatientes & deſperatos toties expertus eſt.
Eccl.32. Non eſt effundēdus ſermo vbi nullus prę-
Math.7. ſtatur auditus: neque margaritæ ſunt ante porcos proiiciendæ. Quæ enim corrigere non poſſumus, patientia & meliorum re-

rum expectatione & æquitate animi tolerãda molliendáque conſulit Æſchylus. Ad hæc cogẽtur prophetæ & doctores tacere, quia tyrãni eis os obſtruent perſecutionibus, carceribus & exiliis. Nullus dabitur locus admonitioni aut doctrinæ. Nõ quod probet doctorum ſilẽtium creſcentibus vitiis, quum eam ob cauſam prophe- *Iſa.58.*
tas mitteret, vt ipſi fortiter magnatum & potentum ſcelera reprehenderent ac ſuggillarent. Sed fuerũt nonnulli alioqui probi viri, (verumtamen non tãta ſpiritus vehementia præditi vt prophetæ) qui cum tantum periculum viderẽt, nempe crudelia principum edicta, & ſeculum ita deploratum, prudentia ciuili vtentes maluerunt ſilere quàm ſeſe tãtis periculis & tam apertis diſcriminibus obiicere. Malunt etiam doctores improborũ & furioſorum audaciæ aliquãdo nonnihil cedere, vbi præſertim apud illos nihil proficitur, ſed miniſterium in verbi & Dei contumeliam cedit. Durum, ait Oratius, ſed leuius fit patiẽtia quicquid corrigere eſt nefas. Si noſtrum exulceratum tẽpus cum hiſce malis temporibus cõferatur, vereor ne noſtrum alia longe ſuperet. Deus ſua bonitate & clementia motalium obcæcata corda illumi-

net atque coilluſtret. Cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

## Homilia 16.

*QVAERITE bonum & non malũ, vt viuatis: & erit Dominus Deus exercituum vobiſcum, ſicut dixiſtis, Odite malum & diligite bonum & conſtituite in porta iudicium: ſi forte miſereatur Dominus Deus exercituum reliquiis Ioſeph. Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator, In omnibus plateis planctus: & in cunctis quæ foris ſunt, dicetur væ væ, & vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos qui ſciunt plangere. Et in omnibus vineis erit planctus: quia pertranſibo in medio tui, dicit Dominus. Væ deſiderantibus diem Domini: ad quid enim vobis? Dies Domini iſta, tenebræ & non lux. Quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus: & ingrediatur domum, & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eum coluber. Nunquid non tenebræ dies Domini & non lux: & caligo & non ſplendor in ea?*

QVis Dominum Deum Opt. Max. accuſare poſſet ac ſi per illũ ſtaret quominus cum ipſo poſt peccatũ in gratiam rediremus, quum tota fere ſcriptura eo ſpectet vt pœnitentiam non vulgare ſed ſingulare remedium, quo eum nobis pacatiſſimum

facillime reddimus, quaſi magna voce & bonis lateribus ſuadeat? Poſtquam per vatem tantas pœnas malè agentibus comminatus eſſet, modo reſipiſcentibus, & fructus pœnitentia dignos facientibus, vitam promittit commodiſſimam, vtpote Deũ totius boni fontem & ſeminarium cum ipſis habitaturum; quod ipſi in ſchiſmate & ſuperſtitionibus perſtantes aduerſus omnes prophetas reb⁹ ſub Hieroboam proſpere ſuccedentibus non minus impie quam ſuperbe iactabant. Solebant enim prophetis deuaſtationem & totius Reipublicæ ſubuerſionem minantibus proterue reſpondere: Quid nos vaſtationis nomine obtunditis? Nam Deus vtique fidelis in promiſſis ſuis, qui patribus noſtris & ipſorum ſemini poſt eos hanc terram iureiurando deuinxit, hoſtibus profanis incircuncisis vaſtandam ac diripiendam traderet? Nónne Dominus nos elegit & adoptauit in populum? nónne fœderis archa certum & firmum pignus eſt ſempiternę ipſius præſentiæ? Apagete cum iſtis odioſis veſtris clamoribus. Præſto nobis Dominus eſt, nec alio hinc diſcedet. Quibus reſpondet vates, *Quærite bonum* perpetua cura, cõſtãti aſſiduoque ſtudio *vt viuatis.*

Studete puto & diuino cultui, pietati nauate operam, & idololatriam fugite, vt tãta pericula quæ vobis impendent, euitetis. Ac ſi diceret: Adeſt quidē Deus atque fert opem, non his qui ſpreta veteri & auita religione nouas & excogitatas amplectuntur, ſed his potius qui relicta ſuperſtitione pietatem colunt, quíque digna ac ſancta filiorum Dei vocatione opera religiosè exercēt. Sancti eſtote, dicebat, quoniam ego ſanctus ſum. Et ſi filij Abraæ & ſanctorum eſtis, ipſorum opera facite. Sancti quib⁹ vos genitos eſſe gloriamini, quæſierunt bonum & non malum: Declinauerunt à malo & bonum fecerunt: Deſierūt male facere, & bene facere didicerunt. Ex his omnibus apparet inanem eorum gloriationem, qui ſe iactāt patres ſanctos habuiſſe Apoſtolos & martyres, atque eorū pietatem & religionem colere, niſi factis oſtenderint ac probauerint, nimirū quærentes bonum, & malum fugientes. Etſi enim omnes natura duce bonum appetant, in electione tamen boni hallucinantur plurimi temporalia & præſentia æternis præponentes. Quod enim ſtatim carni adlubet, bonū eſſe cenſent, etiamſi Deus aliter ſanciat, qui regnum Dei, quod ſpiri-

*Leui. 11.*
*Ioan. 8.*
*Pſal 33. & 1. Pet. 3.*
*Iſa. 1.*

tale eſt, ante omnia quærēdum nobis proponit. O quàm magnę inſipientiæ eſſet, ſi mortis & vitæ optione propoſita mortem antiquiorem eligeremus! Deus interea nobis bonum quærendum proponit, id eſt vt illi ſoli inhæreamus atque fidamus, malum tamen neſcio qua vitiata natura magis proſequimur. Si vates rem non habuiſſet cum præfractis & pœnitere neſciis, qui iam in malis ita obduruiſſent & percalluiſſent, vt vix ac ne vix quidem poſſent auerti, ſatis dixiſſe videretur, *Quærite bonum*, nec opus addere *& non malum*, quum adeò inter ſe contraria ſint, vt quis non poſſet vnū expetere, niſi altero reiecto. Quis poteſt duobus dominis contrariis ſeruire? Cùm igitur fere conclamatū eſſet, tamen adhuc exhortationem, verbis parum immutatis, ad emphaſim repetit. *Odite malum, & diligite bonum*. Non ſatis eſt malum odiſſe, niſi & bonum diligas & ex animo facias, quandoquidem hilarem datorem diligit Dominus. Sunt qui hoc hemiſtichium ad amorem proximi referunt, præcedēs vero ad cultum diuinū. Quemadmodum enim prior legis tabula malum deffinit, ſi alium quàm vnum & verum Deum exercituum colamus, & ſic & altera malum etiam eſſe

*Math. 6.*

*Math. 6.*

1. Cor. 9.

iudicat ſi iuſtitiam, æquitatẽ & fidem violemus. Sic enim inter ſe cohærẽt vt altera ſine altera ſtare non poſſit, ita vt qui in vno præceptorũ peccauerit fiat omnium reus. *Iacob. 2.* Nunc ergo vates officium erga proximum (vbique ſcripturarum amor proximi exigitur) ſuadet, qui prius erga Deum commandauerat. *Conſtituite in porta*, id eſt, in foro *iudicium*. Pro tribunali ius dicturi, iudicate quod rectum eſt, & æquum. Pauperes nolite opprimere, neque ius peruertere, ſed cum æquitate & iure veſtra iudicia componite & coaptate. Deturbatum iam atque ex tribunalibus excluſum ius reſtituite. cuique quod ſuum eſt, ex diuinarum legum præſcripto, tribuite, vt ea ratione pericula parata inſtantiáque euadatis, & Deum qui à verbis exulat, reuocetis, quique vos hoſtium victores efficiat à quibus vincẽdi eratis. *Dominus Deus exercituum*, omnipotens rerum omnium moderator, pro ſua genuina bonitate fortaſſis gratia proſequetur reliquias Ioſeph. Forte regni Iſraelitici reliquiarum miſerebitur, earum ſcilicet quæ poſt bellum Aſſyriacum adhuc ſuperſunt. Ioſeph augendi ſignificationem habet, reliquiæ vero diminutionis & interitus. Populus igitur Iſrael,

qui per Ephraim à Ioſeph (quod interpretatum ſignificat augmentum) duxerat originem, non amplius dicetur auctus, ac ne vix relictus, niſi Dominus Adonai ſua natura clementiſſimus, vobis pene iam conſumptis compatiatur, & res veſtras ita ab Aſſyriis occiſas & attritas in priſtinum ſtatum, qui feliciſſimus quondam fuit, reſtituat. Quamuis hæc dubitandi particula אולי fortaſſe, in ſcripturis ſatis frequens multis faceſſat negotium, quaſi Deus ſerio pœnitentibus non indulgeat. Septuaginta tamen ſcripturæ mentem & ſenſum aduertentes affirmatiue interpretati ſunt, ὅπως ἐλεήσῃ ὁ κύριος, &c. vt miſereatur Dominus Deus omnipotens reliquiarum Ioſeph. Cæterum ſcriptura hominum more, quibus difficile eſt veniã dare, de Deo loqui ſolet, non quod ſane ex parte Dei ſit difficultas, ſed potius hominum, quorum reſipiſcentia & pœnitentia poteſt non ſeria & abſoluta eſſe. Vult igitur dicere, Niſi gnauiter & ſtrenuè ad Deum confugiatis, ſed tãtum frigidè defunctoriè & per tranſennam; mala quæ vobis impendent, non auertet, ſed interea per illum non ſtabit: nam in poteſtate veſtra eſt vt à malis ingruentibus ſecuri ſitis; vt pote ſi illa legiti-

mè & iuſtè deprecari minime neglexeritis. Sunt & alij qui recte quidem meo iudicio, illud fortaſſe appoſitum eſſe autumant, quod non ſatis certũ exploratumq; eſſet vt belli Aſſyriaci imminens periculum euaderẽt, tametſi Deus ipſorum peccata deleret, modo ſerio reſipiſcerẽt. Nam etſi Deus verè pœnitentibus peccata condonet, nihilominus temporales aliquãdo immittit ærumnas, vt deleto Dauidis adul-
2.Reg.12. terio, ipſe tamen multa pro puero in extremis laborante paſſus eſt. Hac loquendi
Act.8. phraſi Diuus Petrus in Actis Apoſtolicis vſus eſt, dum Simoni pœnitentiam ſuaderet, dicẽs, Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua: & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Atqui de iis ſatis. Textum reliquum nunc proſequamur. ***Propterea ſic ait Dominus Deus exercituum***, ille inquam Dominus ſcelerũ vltor, iuſtiſſimus integerrimuſque iudex & potentiſſimus, quem nemo impune vnquam contempſit: ***in omnibus plateis erit plangor, & in omnibus viis, quæ ſunt extra domum***, id eſt vbiuis locorum, multo cum gemitu, ex imo pectore ductis ſuſpiriis clamabitur heu heu. Quaſi diceret vbique eiulatus & planctus erit, non intus tantum

domi ſed maxime per vicos & plateas: accerſéntq; ſcilicet vrbani, agricolas ad planctum & leſſum agendum, quippe quibus ex ſua ſemente nulla eſt prouentura meſſis, quia vel agri ab hoſtibus vaſtati ſunt, vel etiam quod expectationi non reſponderint, vt pote vitiis à Domino immiſſis. Communis erit tum ciuibus tum agricolis hæc calamitas. Vrbana & ruſtica loca omnia luctu gemitúque complebuntur. Quotquot igitur lamentandi ſunt periti, iuſtam ſatis habebunt plangendi cauſam. Offeretur vndique ampliſſima lamentandi materia iis qui carmina lugubria ex arte componunt. Itaque accerſentur vndiquaque huiuſmodi præfici & præficæ, qui alios ad lachrymas concitent. Vndique ſibi inuicem occurrent qui plangant & lamententur, ſinguli ob damna ſua. Nam *in vineis quoque*, vt quæ ſteriles minimúmq; frugiferæ futuræ ſint, vel potius ab hoſtiū copiis pérdendæ, *planctus erit*, vt vbi quondam erat materia lætitiæ iam ſit mœroris argumentum. *Quia tranſibo per medium tui, inquit Dominus*. Quaſi diceret, per tuos agros, vineas, omnia denique tua tranſibo, omnia peruaſtans & perdens, vt nihil integrum permaneat, veluti per terrã Ægypti *Exod. 12.*

quum nocte omnia primogenita percuſſi. De omibus qui iniquè egerũt pœnas ſumpturus ſum. Ex iis perſpicere licet, quidnam maneat illos, qui toties per verbum Dei admoniti non reſipiſcũt, quique malum potius quàm bonum quærentes ſalutaria conſilia ſpernunt. Ipſi ſane experturi ſunt luctum non priuatũ ſolum, ſed etiam ſolemnem, nec in vrbibus tantum, verumetiam ruri in agris & vineis, & in locis pręcipuè in quæ ciues animi gratia conuenire ſolent, vt vbi vox lętitiæ antea ſonuerat ibi plangor & luctus audiretur. Haſce calamitates omnes per Aſſyrios non multis ab hinc annis immiſit Iehoua Deus exercituum Dominator. Tot Dei nomina ſeu epitheta (ex quibus primum ineffabile eſt, duo vero vltima diuinarum virtutum notationes ſignificat) vates congeſſit, vt terrorem Iſraelitis incuteret, & vt magnitudinem & omnipotentiam ipſi perpenderent, illius inquam, quam ſæpiſſimè offenderẽt, & ad quem per veram & ſeriam pœnitentiam redire iubentur. Si malorum calamitatem in nouiſſimi iudicij die, quo vnuſquiſque rationem accepti & expenſi redditurus eſt, nobiſcum frequentiſſimè expenderemus, ad pœnitentiam ſerio am-

plectendam nos diligentius & ardentius accingeremus, ſicque diem Domini, quo de præfractis vindictã ſumet, mature præuerteremus, quem quidẽ non minus ſtulte quàm arroganter deſiderarunt hæretico ſpiritu acti Iſraelitæ, quos mire vates hîc inſectatur. *Væ iis qui de die Domini tam ſecuri ſunt, vt eum deſiderent*. Quorſum eum optatis vel ridẽtes? Cur hoc vobis in mentem venit? Vnde vos hæc libido inceſſit? Non erit vobis lætus, proſper & iucundus dies, vt putatis, imo miſeriarum & calamitatum plenus futurus eſt, quę per tenebras deſignantur. Ex victoriis ſub Hieroboam partis inſolentiores facti, viribus ſuis fidentes, prophetis Aſſyrios venturos prænuntiantibus inculcabant, Veniet hic dies Domini quem perpetuo in ore habetis: Veniant hoſtes noſtri, triumphos vt de aliis reportabimus eóſque eadẽ qua alios clade percellemus. Cum enim dies Domini (quo ipſe ſingulariter potẽtiam ſuam exerit, pœnas de impiis ſumens) illis obiiceretur, dicebãt illud quod habetur Iſa.7. cap. Age veniat, acceleret opus ſuum. Sic omnium prophetarum minas irridentes, quaſi Dominus nũquam populum ſuum & hæreditatem gentibus in prædam eſſet

traditurus. In hunc modum Iudæi templo
Hier. 7. confidentes occinebãt apud Hieremiam, Templum Domini, templum Domini. Templo ſuo parcet, illud violari nũquam patietur. Interea alij in varietate ac diſſenſione cõſtituti atque à veræ religionis ſocietate alieni erant, vtrique verò perditiſſimé viuebant. Et quid aliud eſt deſiderare diem Domini, quàm peccatis & ſceleribus illum accelerare? Diem Domini acceleramus, quum nec ad pœnitentiam inducimur, emẽdationem & correctionem in dies prorogãtes. Sunt qui & alium ſenſum eruunt, inter quos eſt Diuus Hieronimus, nimirum, quaſi diem captiuitatis optarent, vt poſt illã fruerentur bonis quæ promittebat Dominus per prophetas: ac ſi nihil eſſet captiuitas, præ bonorum, quæ promittebantur poſtea futura, amplitudine. Ad duas tribus hæc aptari poſſunt, quæ decem perditas ſummopere cupiebant, quas potius emẽdatas & ſeruatas exoptare oportebat. Sunt qui vellent in ſchiſmate
Luc. 9. conſtitutos ad internecionem deletos eſſe, ſed neſciunt cuius ſpiritus ſint, qui mala proximis deſiderant, & eos funditus perditos cupiunt. Satius eſſet Deum Opt. Max. precari vt ad communem concor-
diam

diam ipſos reuocare dignaretur. Solent & deſperabũdi prę nimis afflictionibus diem aduentus Domini ſummis optare votis, hoc eſt mortẽ, non fidei ſpiritu, vt ille qui cupiebat diſſolui & eſſe cum Chriſto, ſed *Philip.1.* potius deſperationis animo, ac miſeriarũ & ęrumnarum pondere preſſi, quibus dicitur, *Væ deſiderãtibus diem Domini*. Si qualis ſit ille dies apprime ſcirẽt, non ita facilè & temerè ipſum optarent, quicunque ſint iſti. Nam talis ille dies Domini, cuius tanto deſiderio tenebatur, eſt futurus, quomodo ſi quis fugiat à conſpectu leonis, id eſt metu leonis, & occurrat ei ſæuiens vrſus. Hoc eſt vbi ſe putet, leonem quum effugerit, euaſiſſe & in tuto eſſe, in vrſum incidat: Vt dici ſolet, incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim: quemadmodum inquam vbi quis euaſerit vrſum, putans ſe iam extra periculum, domum ſeſe recipiat, & manũ ſuam applicet parieti, atque mordeat eum ſerpens: Ita Dominus varios & multos modos tenet, quibus in ſceleratos animaduertat. Nam ſi bellum vnum ſuſtinuerint & hoſtis vnus diſcedat, ſtatim reſtaurabitur bellum à nouo hoſte; Quod ſi vis externa non graſſetur, eiuſdem regni homines inteſtinis malis ſeſe conficient,

vel ſame media aut peſte interficientur. Nonne igitur tenebroſus atque calamitoſus eſt dies Domini minimeque lucidus aut iucūdus? Ille erit omnis ſplendoris expers, ne tantillo quidē fulgore conſpicuus; id eſt plane teter, miſer & horridus, triſtis & calamitoſus, nil in eo lęti & iucundi. Ex iis liquido perſpicimus eos qui in peccatis perſtare volunt, non poſſe iudicia Domini effugere, quocunque ſeſe recipiant. Miſerrimi Iudæi Nabuchodonoſorem leonem putātes euaſiſſe, in Aſſuerum vrſum, qui ſub Haman Iudæis primum fuit infeſtiſſimus, prolapſi ſunt ac impegerūt. Vbi vero ipſi putabant ſeſe iam tutos, & velut manus laſſas ac feſſa membra in templo vt domi reclinare cogitabāt, aduerſus Antiochum ſerpentem colluctari neceſſe habuerunt. Eccleſia primęua putans euaſiſſe tyrānorum perſecutiones, in ſectarum autores incidit, qui tyrannis multo nocentiores extitere. Nos vero à calce in carbonariam collapſi ſumus ( vt ab Appelle ad Marcionem dicebat Tertulianus ) id eſt à Luthero ad Caluinum virorum omnium impudentiſſimum. Deus pater clementiſſimus ab huiuſmodi peſte per Chriſtum filium ſuum nos liberet: Cui laus, ho-

nor & gloria in ſecula ſeculorum.
Amen.

## Homilia 17.

*ODI & proieci feſtiuitates veſtras, & non capiam odorem cœtuum veſtrorum. Quod ſi mihi obtuleritis holocauſtomata, & munera veſtra non ſuſcipiam, & vota pinguium veſtrorum non reſpiciam. Aufer à me tumultum carminum tuorum, & canticum lyræ tuæ non audiam. Et reuelabatur quaſi aqua iudicium, & iuſtitia quaſi torrẽs fortis. Nunquid hoſtias & ſacrificia obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis domus Iſrael? Et portaſtis tabernaculum Moloch veſtro, & imaginem idolorum veſtrorum: ſydus Dei veſtri Rempham? figuras quas feciſtis vobis adorare eas: quæ feciſtis vobis. Et migrare vos faciam trans Damaſcum, dicit Dominus, Deus exercituum nomen eius.*

QVis ſatis mirari poſſet, viri Chriſtiani, Deum odio habere & reiicere ea, quæ prius in procuranda hominũ ſalute ſanctè inſtituerat, ac ſtricte præceperat? Tanti ne poteſt mortalium malitia atque nequitia, vt quæ ſua natura optima & præſtantiſſima & ad felicitatem maxime vtilia ſunt, quia à vero & ſummo Deo

inſtituta, mala, reiectitia & inutilia fiant? Nemo profecto ignorare poteſt, ſi à limine ſacros libros ſalutauerit, feſta ſacrificiáque à iactis etiam mundi fundamentis, à Deo Opt. Max. fuiſſe piè ac ſanctè ſanxita, & à piis viris religioſe curata & obſeruata. Simulatque primus homo conditus eſt, lege cautum fuit vt ſabbatum ipſe ſanctificaret. Abel ad cuius munera reſpexit Dominus, ſanctè & purè ſicut à patre edoctus fuerat ſacrificiis numen coluit. Odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis ſacrificij, quod Noë purè caſtéque obtulerat. Melchiſedec ſummi Dei ſacerdos, in quo ſacrificij dominici ſacramentum præfiguratum videmus, & cuius frequenter meminit ſcriptura, ſacrificium Deo patri in gratiarum actionem obtuliſſe legimus. Nemo neſcit in lege Moſis multa & varia inſtituta fuiſſe ſacrificia, quibus Dominus Deus Aaronem eiuſque filios & nepotes & non alios præfecit. Feſta etiam & ſolemnitates vltra ſabbatum indicebantur, vt ſolemnes illi dies feſti ter ſingulis annis celebrari ſoliti, quos violare grãde vtique nefas fuit. Noſter vates interea docet illa omnia faſtidire ac odio proſequi, quia nec interior animi religio nec morum integri-

*Gen. 4.*

*Gen. 8.*

*Deut. 16.*

tas cum iis conſentiebat neque concinebat. *Odi & proieci* ſiue reprobaui, id eſt odio proſequor & auerſor (nam præteritis loco præſentium paſſim vtuntur Hebræi) *ſolemnitates veſtras*, neque adorabor feſta veſtra vel cœtus veſtros, id eſt ſuffitum, quem in cœtibus veſtris adoletis, & ſacrificia quæ in illis offerre ſoletis, non olfacio. Quaſi diceret, iſta externa nihil moror, quibus me promulſum delinitúmque iri putatis, & ſi à me inſtituta & præcepta fuerint, niſi adiuncta ſit fides, pietas, pœnitentia, vitæque integritas atque ſynceritas. Non ſunt hæc mihi de manu veſtra grata, qui ita impij ſitis, quíque à religione patria & auita impiè defeciſtis, & ab Eccleſia Catholica ad ſectas, quæ ſpecies idololatriæ ſunt, temere tranſuolaſtis. Non me quidem latet talia Iſaiam duabus tribubus, & Dauidem vniuerſo populo priuſquam ſchiſma interueniſſet, obiicere & exprobrare, ſed videtur tamen alia & diuerſa ratione. Nam quum Dominus Deus reiicit apud illos victimarum multitudinem, ſabbatum & ſolemnes alios dies, cœtus etiam & preces quæ in illis fiebant, rationem addit: Manus enim veſtræ, inquit *Iſa. 1.*
ſanguine extillant ac plenæ ſunt. Voluit

tantum cum Dauide Iſaias Deum non his placari externis ſi vita non emendatur ac corrigatur, vt in ſequẽtibus planius demonſtrat. Non tamen abſolute ceremonias, ritus & denique vniuerſum cultum qui in Eccleſia Hieroſolymis orthodoxe fiebat, damnat, vt Amos noſter decem tribuum alios cultus extraneos veteribus ceremoniis admixtos, quos omnino auerſatur, tum quia contra Dei præceptum, tum quia in ſchiſmate & extra Eccleſiam fiebant. Tantum abeſt vt huiuſcemodi Deus delectetur ac placetur, quia ſine charitate fiunt, imo vero magis ac magis irritatur. Fateor equidem, Deum tum in Eccleſia tum alibi coli poſſe, ſed cultus ille non ei gratus eſt niſi in Eccleſia, vt Diuus Auguſtinus contra Creſeruium grammaticum Donaſtitam probè diſputat, Vnus Deus, inquit, vna fides, vnum baptiſma, vna incorrupta Eccleſia Catholica: non in qua ſola Deus vnus colitur, ſed in qua ſola vnus Deus pie colitur: nec in qua ſola fides rêtinetur, ſed in qua ſola vna fides cum charitate retinetur: nec in qua ſola vnus baptiſmus habetur, ſed in qua ſola vnus baptiſmus ſalubriter habetur. Quæ ſacrificia, inquit Diuus martyr Cyprianus ſchiſ-

maticos alloquens, celebrare ſe credunt æmuli ſacerdotum? an ſecum eſſe Chriſtum, cum collecti fuerint opinantur, quia extra Eccleſiam Chriſti colliguntur: Tales etiam ſi occiſi fuerint in cõfeſſione nominis, macula iſta nec ſanguine abluitur inexpiabilis & grauis culpa diſcordiæ, nec paſſione purgatur. Eſſe martyr non poteſt qui in Eccleſia non eſt: ad regnum peruenire non poterit, qui eam quę regnatura eſt, dereliquit. Ex quibus cognoſcere quilibet noſtrum poteſt, hæreticorum cœtus, feſta, preces, ieiunia, & quicquid ſacri, ſimiarũ more hæ peſtes æmulãtur, Deum auerſari. Verbi gratia, in medium afferam Encratitarum cõfictum cœlibatum atque ſimulatam continentiam, Montaniſtarum execranda ieiunia, Manicheorum perpetuam à cibis ſuperſtitioſam abſtinentiam. Quid dicam de Hugnoſticorum voluntariis vel prædicantum iuſſu aſſumptis ieiuniis, contempta Eccleſiæ conſuetudine, cui veritas ſuffragatur: Omnia iſta in odiũ Eccleſiæ conficta quæ in ſpeciem ſimplicibus (quorum ſimplicitate peruerſé abutuntur) apparent bona, reiicit & abominatur Dominus. Hoc nos in ſummam trahit admirationem, ad quid noui religionis

inſtauratores & reſtitutores, ſi Deo placet, qui ad rauim vſque ſanctorum Apoſtolorum & Apoſtolicorum virorum traditiones deteſtantur & abominātur, nouas ſarcinas pauperculæ turbæ deluſæ imponūt? Mauult Hugnoſtica ſecta mandata & traditiones recentes impoſtorum ſeruare, quàm Eccleſiæ Catholicæ veritatis colūnæ vetuſtiſſimos Canones & inueterata Decreta. Huiuſmodi prædicantium inuenta non Dei ſunt, quemadmodum exprobrat Amos ſuæ ætatis apoſtatis. *Proieci feſtiuitates veſtras*, cœtus veſtri nō ſunt mihi grati. Emphaticè dicit feſta veſtra, cœtus veſtros, vel vt Græci habent πανηγυρεις vulgò collectas vocāt. Quaſi diceret, Hæc mea non ſunt, etſi olim à me inſtituta, ſed veſtra, quum ea prophanetis, idolis potius quàm mihi ſeruiendo, & meris nugis quàm veritati. *Neque holocauſta*, quæ prò totius populi peccatis offerebantur & in ſolidum cremabātur, *accipiam*, neque vota. Hebraicè habetur pacifica, ſuplè ſacrificia pinguium veſtrorum, quæ pro pace, id eſt ſalute & proſperitate obtinenda vel optata offerebantur, vultu placido & benigno aſpiciam, quod nudè & ieiunè, alio etiam fine, quàm ipſe præſcripſerim, & in

ſchiſmate illa obtuleritis: Deus enim omnis externi cultus eum finem eſſe voluit, vt promiſſi Saluatoris typos præferret, & vnumquẽque ſui officij tam in fide & religione quàm totius vitæ conuerſatione admoneret. Cæterũ ſacrificia gratiam etiam & reconciliationem ſignificãtia iniuncta fuerant in exercitium populi, vt his ſuam gratitudinem teſtarẽtur, & vt ab idolorum cultu auocarentur, vt quæ alioqui forſan idolis erant oblaturi, ad quorum cultum valde proni erant. Iſraelitæ vero iſtorum omnium immemores nudis ceremoniis occupabantur, atque his Deo ſine fide & charitate ſatisfieri, & peccata expiari putabant. Sunt & multi in Eccleſia qui ſuo officio probe functos arbitrantur, ſi ſine fide, ſpiritu & deuotione ſacris interfuerint: interea de vera, ſeria & ſyncera pœnitentia, de charitate erga Deum & proximum ne gry quidem cogitantes, quum Dominus gaudiũ Angelis eſſe ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, & Apoſtolus finem legis charitatem eſſe doceant. Hæc igitur omnia faſtidit Dominus, vt & ipſorum cantica, quæ vel ore vel inſtrumentis muſicis à Leuitis canebantur. *Aufer à me*, inquit, *tumultum* vel ſtrepitum *cantico-*

*Luc.15.*

*1.Tim.1.*

*rum tuorum*, qui mihi perǫquè moleſtus eſt vt aſinorum clamor delicatis auribus eſſe ſolet. Auffer à me multitudinem carminum tuorum: nam cantica vel concentum & pſalmodiam nabliorum tuorum, aſcaularum & organorum veſtrorum non audiam. Quatuor millia cantorum tempore
1.*Para.* 24. Dauidis extitere, quos ipſe in viginti quatuor claſſes diſtribuit. Is enim ordo gratus Deo tandiu fuit, quandiu in Eccleſia purè & ſyncerè ipſi ſeruierint, quum vero à fide, pietate & auita religione defecerunt, non pluris cãticorum & pſalmorum ſtrepitum fecit, quàm ſuis grunitum faceremus. Tantundem dicemus de hæreticorum pſalmis rithmicis, quos Gallicè mixtim mulieres cantus auidę, peræquè ac viri in ſuis ſynagogis decantare, ne dicam rudere ſolent. Hic mos patrius hæreticæ prauitatis vtique fuit, cantiones ſatis accommodas ad ſimplicium aures demulcendas componere, vt in libro de carne Chriſti notat Tertulianus, cuius verba lubens profero. Remiſſis pſalmis, inquit, Valentini, quos magna impudẽtia, quaſi idonei alicuius autoris interſerit, ad vnã iam lineam congreſſionem dirigamus. Diuus Ambroſius, Prudentius, Sedulius & Chri-

ſoſtomus ad Chriſtianos retinendos ne in Apoſtatarum congregationes proficiſcerentur cantus ſyrenum dulcedine illecti, hymnos confecere, qui in Eccleſia vſque in hodiernum diem orthodoxè canuntur. Pſalmorum, canticorum & hymnorum temperatus vſus inter Chriſtianos vetuſtiſſimus eſt, ad incendendum pietatis ſtudium commodiſſimus. Vnde Apoſtolus, Loquẽtes vobiſmetipſis in pſalmis, & canticis ſpiritualibus, cantãtes & pſallentes in cordibus veſtris Domino. Sed ſpiritu pſallamus & mente, alioqui Deus nobis obiiceret, Populus hic labiis me honorat, cor autem illius longe eſt à me. Plinius iunior ad Traianũ de Chriſtianis ſcribens, hymnorum quos ipſi in cœtibus antelucanis canebant, latius meminit. Organis etiam olim populum ad pietatem excitare in ſacris ſolẽnioribus ſolebamus, Sed Hugnoſtica rabies ex plumbo & ſtanno quibus fiſtulæ conflatæ erant, catapultarum lapides & globos conflauerunt, vt ſacerdotes Catholicos, & regis Chriſtianiſſimi fideles ſubditos, abſque vlla iuris forma nefariè trucidarent. Atque canticorum loco quæ concinnè organis cantabantur, adulterinos & recens inuentos cantus ſuppo-

*Epheſ.5.*

*1.Cor.14.*

*Pſal.29.*

ſuerunt, qui Deo nauſeam moueant verius, quàm ipſum demulceāt. Quapropter eis illud, quod Amos Iſraelitis occinamus: *Decurrat, voluatur & delabatur ſicut aqua, iudicium, & iuſtitia tanquam torrens vehemens.* Iudicij nomine politicas omnes, iuſtitiæ vero ethicas virtutes intelligere poſſumus. Quaſi diceret, Si rem gratam mihi facere velitis, in hoc toti incūbite, vt quod æquum & bonum eſt, profluat, abundet ac diffundatur inſtar aquæ. Facite vt æquitas torrentis in morem errūmpat, vt latiſſimè pateat iuris dictio, & omnibus ius reddatis. Si hæc omnia externis iunxeritis ad Eccleſiæ vnitatem redeundo, me haud dubie pacatum ac reconciliatum reddetis. Si vero aliter feceritis, vniuerſa illa externa abdicabo, voſque ſtrenuè iudicabo, ita vt iudicia mea aquarū impetui & torrentum vi, cui nemo obſiſtere poteſt, rectè comparentur. Patebit omnibus iudicium meum iuſtum in te. Vt enim aqua quod prius texerat, delabendo nudat, & patere facit omnium oculis; ſic iudicium Dei, ait Hieronimus, atque iuſtitia quæ de ſuo quondam populo iudicauit, patet omnibus & feretur inſtar torrentis fortiſſimi. Quicquid arripuerit, ſecum trahit, & ſibi

obſiſtere non patitur. ne autem arbitremini me ſacrificia veſtra ſine piis moribus, & niſi fiant candido & ſyncero animo, tanti facere, imo vero vobis in mentem veniat quomodo quadraginta annis in deſerto abſque ſacrificiis vos deffenderim, aluerim benigniſſime, ac ſumma & plurima in vos beneficia contulerim. *An ſacrificia & oblationes mihi quadraginta illos in ſolitudine annos obtuliſtis*, atque per eas placuiſtis potius, quàm pietate & beneficentia in proximum? vocique meæ obediendo? Hæc non ſic intelligenda ſunt, ac ſi in deſerto nunquam ſacrificauerint, quãdoquidem ex lege oppoſitum conſtat; vt pote quando Dominus cum illis fœdus iniit in mõte Sinai. In dedicatione quoque tabernaculi oblatę ſunt victimę à ſingulis tribuum principibus; & alias vt in vnctione Aaronis & eius filiorum ſacerdotio. Sed quod nondum in deſerto propter eius incõmoditatem eſſet ſtata & ordinaria ſacrificiorum ratio, & quia quod paucum eſt, pro nullo habetur. Item ſacrificandi libertas ſingulis permittebatur vt ptcorant, & quãdo eis licuit per carnium & vini abundantiam, quibus deſtituebantur quando per ſolitudinis vaſtitatem errare cœperũt.

*Exod. 24.*

*Num. 7.*

Virtus autem & pietas vbique exerceri iubetur. Doctiſſimus ille noſter Hieronimus vim facit in pronomine mihi, quaſi diceret vates, Non mihi in deſerto ſacrificia obtuliſtis, ſed idolis veſtris: quò Diuus Lucas Actor. 7. reſpexiſſe videtur. Vix ac ne vix quidem Iſraelitæ retineri potuerũt in vero ac ſyncero Dei cultu, ſed ſuperſtitionibus nunquam non fuerunt addicti, etiam in deſertis, vbi fame, ſitique ita premebãtur, vt ſingulis horis in cœlum reſpicere debuiſſent. *Nam ſuſtuliſtis*, inquit, *Sicuth regem veſtrum*, vel vmbraculũ, σκηνὴν regis veſtri, idoli, quod eximium inter cætera habuiſtis; cui inter reliqua cœli aſtra primas datis. In pompa, loco arcæ dominicæ, humeris veſtris tuliſtis: Et Chion (Saturnum aliqui putant) id eſt typum ſimulachrorum veſtrorum: quaſi dicat, ſimulachra veſtra effıcta, & pulchrè coaptata ac adornata. Portaſtis, inquam, ſidus Dei veſtri, quem feciſtis vobis, id eſt ſimulachrum ſideris, quod pro Deo vobis fuit. Diuus Hieronimus hîc כוכב ſtellam exponit Luciferum, quam Sarraceni adorabant, alij Venerem, Hebręi modo Mercurium hoc nomine appellãt. Quamuis hæc de Iudæis qui omni animi virtute omniq;

pietate profligata, ſiderum ac ſimulachrorum cultum admiſerāt, ſuis regibus aſſentantes, intelligantur: vult tamen Hieronimus ea referamus ad hæreticos, qui non vnum colunt idolum, ſed pro varietate doctrinæ diuerſos adorant Deos. Vt Vincentius Lyrinenſis illis exprobrat in illo aureo libello, quem inſcripſit aduerſus prophanas hæreticorũ nouitates. Interea nobis nõ faceſſat negotium, ſi Lucas Act. 7. in citando hoc loco parum diſcrepet ab Hebræa veritate, quando Græcis ſcribens lxx. teſtimonio ſit vſus, nõnulla tamen interdum aliter immutans, vt dum memoriter aliquid citatur interim accidit, ſenſus ſaluus & integer manet: quod ſatis eſt, quia viri ſancti & Apoſtoli hunc ſolum ſequuti ſunt, non alligati verbulis aut ſyllabarum numero. Sed perorationem audiamus, in qua hanc quę ſequitur pœnã ſubdit atque ſubtexit. *Hac de cauſa protrudam & deportabo vos* longe quidem *vltra Damaſcum*, in Aſſyriam, in vrbes Medorũ & Perſarum, vnde nulla in veſtram regionem redeundi ſpes affulgeat. Hactenus cum Damaſcenis & Syris vicina & finitima regione, à qua facilis futura erat in patriam reſtitutio, ſi quando abducerentur, bellum geſ-

ſerant: nunc vero maius illis grauiuſque minatur exiliũ, videlicet vltra Damaſcũ. Itaque pro his tot & tantis ſceleribus & impietate veſtra abducemini captiui trãs Babylonem, vt protomartyr Stephanus
*Act.7.* ad ſenſum reſpiciens, dicit. Nam nonnulli in Mediam & Perſidem, quæ ſunt vltra Babylonem deportati ſunt. Vel longius ſane relegabimini quàm Damaſceni, quum illi in Cyrenem, vos vero vltra Babylonẽ in vrbes Mediæ ſitis migraturi. Quod vt ne de meo cerebro enatum putetis ſomnium, ſcitote ſic dixiſſe Dominum, *cui nomen eſt Dominus Deus exercituum.* Quaſi diceret: Qui moderator eſt illorum exercituum cœleſtium quos vos adoratis, illi ipſi ſubſunt ei, & eius imperiũ ſupra ſe agnoſcunt. Cur ergo non Dominum potius quàm miniſtros adoratis? Cur ad ſimulachra muta conuertimini? Deum potius cœli & terræ autorem colite, alioqui vltra Damaſcum, quem inexpugnabilem fingitis, & in illa tanquam in tranquillo nido deliteſcere putetis, ipſe vos relegabit. Deum illum verum ambabus vlnis (vt in prouerbio eſt), & ex animo cum ſyncera pœnitentia humiliter & demiſsè amplectamur, eique per Filium ſupplicemus:
Cui

Cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

## Homilia 18.

*VAE vobis qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: Optimates capita populorum, ingredientes prompaticè domum Iſrael. Tranſite in Chalanne, & videte, & ite inde in Emath magnam: & deſcendite in Geth Palæſtinorum, nam meliora quoque regna horum, ſi latior terminus eorum termino veſtro eſt. Qui ſeparati eſtis in diem malum, & appropinquatis ſolio iniquitatis. Qui dormitis in cubilibus eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris: Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem pſalterij, ſicut Dauid, putauerunt ſe habere vaſa cantici bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph. Quapropter nunc migrabunt in capite tranſmigrantium & aufferetur factio laſciuientium.*

QVI vitam ſummo degunt in otio, & ſecuritate diuitiíſque fruuntur, interea neque pauperum & afflictorum calamitatibus, neque miſerorũ ærũnis mouentur nec indoleſcunt, quales fuere Sionis ac Samariæ incolæ, diuinæ

maledictioni obnoxij ſunt, ita vt iuſtè & meritò iſtis omnibus carere mereantur, quia vinctorum ac ſi vincti fuiſſent non ſunt recordati. Illud eſt quod vates vtriuſq; regni metropolitanis ſecure agentibus, dum maximam decem tribuum partem iam in captiuitatem abductam conſpicerent, exprobrat. *Væ quietis in Sion, & confidentibus in monte Samariæ.* Samaritanorum optimates & eorum qui Hieruſalem ciuitatem munitiſſimam incolebãt, quum viderent res populi atteri, vatum minis & prædictionibus contemptis, à communi lætitia non ceſſabant, imo vero plus ſolito, ac ſi flagellorum Dei forent expertes, luxui vacabant, id eſt deliciis & voluptatĩbus dabant operam, quaſi pauperum miſeriis locupletarentur ac ornarentur. Idem ſane nos ſæpiſſimè experimur, ſi bello aut fame aliquod regnum prematur, diuites hinc anſam corripiunt expilandi pauperes ac diripiendi, quia iniquas conditiones ſubire coguntur, vt & tributa extraordinaria tempore belli militibus pandant, vitamque pauperrimam tueantur & deffendant. Interea ipſi diuites otiãtur atque ſtultè ſecuri ac confidentes in diuitiis & locis munitioribus, Dei minas impiè con-

temnunt. Vates igitur hac oratione Sionis & Samariæ primores arguit, ipſorum ſtultam ſecuritatē, luxum & delitias carpens. Væ quietè in monte Sionis agentibus, id eſt in regno Iuda, cuius metropolis Hieroſolyma, vbi arx Sionis: Væ inquam ſecuris & ſummo otio ac felicitate fouentibus in Sione, & qui fidunt atque ſibi placent de monte Samariæ, in munitionibus ſcilicet eius. Hęc enim vltima inter vrbes regni Iſraelitici capta eſt, ſicut & Sion arx Hieroſolymæ poſtrema inter vrbes regni Iuda. Vos nominati, celebrati, inſignes & omnium gentium primitiæ, id eſt celeberrimi. Vos inquam, quos præ cæteris populis delegit Dominus in populum ſibi peculiarem, ad eos montes vel eas gentes deueniſtis domus Iſrael. Septem tandem populis inde pulſis, in eorum agros, opes & optima quæque quæ habuerant, intromiſſi eſtis. Summam vtriuſque regni taxat ingratitudinem. Decebat enim eos pro tot & tantis beneficiis Deo magis gratos eſſe, melioreſque reddi ac diligentiores ad numinis in ſe bonitatem conſiderandam, vbi tam præclaris donis ad ſecuritatem ipſi abutebantur. Dei virtute verius quàm ſuapte potentia ac robore in has regiones op-

pulentiſſimas peruenerant, ad quid ergo potentes & diuites hanc diuinam bonitatem non agnoſcunt? Væ iis diuitibus qui omni ſtudio terrena quærunt, nihil de regno Dei & pauperibus curantes. Hanc Epicureorum, Ede, bibe, poſt mortẽ nulla voluptas, & illam impiam ac inhumanam & plane Cyclopicam Plauti ſententiam in ore ſemper habentes. De mendico malè merentur, qui ei dat quod edat, aut quod bibat: nam & illud quod dat perdit, & illi producit vitam ad miſeriam. Sed quantò bone Deus & diuinius & coimus hoc eſt vt Græci loquuntur φιλοφρονέστερον & humanius, hoc eſt φιλανθρωπότερον, Baſilius Magn⁹ in oratione de Eleemoſina: Longe, inquit, præſtabilius antiquiuſque eſt innumerę prolis patrem concelebrari quàm infinitis nummis aureis loculos refertos expletoſq; poſſidere, &c. Non quod diuitiæ malæ ſint, modo vt par eſt, ipſis vtàmur. Sunt profectò qui multa poſſident, illis tamen
Matth.5. toto corde abrenuntiant, & pauperes ſpiritu à Chriſto vocitantur. Maxime vereor ne væ iſtud interminetur Catholicæ religionis, & Proteſtantium primoribus, qui ſe fidẽtes rapinis, quas bellorum ciuilium temporibus, prætextu religionis ſuſcepto-

rum,accumularunt, in locis munitioribus ſecuri latitantes deliciis & luxu diffluunt, nec pauperum miſerias vllo modo attendunt. Carnalis confidentia & ſecuritas à *Pſal.32.*
prophetis vbique damnatur. Fallax equus ad ſalutem,in abundantia virtutis ſuę non ſaluabitur. Non in tibiis & lacertis viri beneplacitum eſt Domino. Et apud Iſaiam:
Væ his qui deſcendunt in Ægyptum ad *Iſa.31.*
auxilium, in equis ſperantes, & habentes fiduciam ſuper quadrigis,quia multę ſunt. Nulla ſiquidem potentia,nullum robur in iudicio Dei ſtare poteſt. Sunt qui hũc ſenſum eruunt, nimirum Rabi Selemo & Chaldæus paraphraſtes: Iudæi qui appellabantur primitiæ Gentium,quique Gentibus ob felicitatem nequaquam inuidere debebant, venerunt ad illas Gentes, id eſt illis ſeſe adiunxerunt, eorum mores & ritus didicerunt, ita vt inter Gentes cenſeri poſſint. Sibi liberíſque nomina qualia erãt apud Gentes imponunt iam biblicorum & patriorum auitorúmque nominum pertæſi. In poſterioribus temporibus Iudæis familiare fuit,ſibi Gentium,vt Græcorum & Romanorum nomina aſſumere,vt Alexandri,Ariſtobuli, &c. quod & Chriſtianis vitio verti poteſt. Nam paganorum &

Gentium nomina, potius quàm Apoſtolorum vel martyrum ſuis liberis indunt. Theodoreti ætate, vt ipſe ſcribit in ſermone de martyribus, Chriſtiani martyrũ nomina baptiſmo initiatis imponebant, vt & martyres quorũ nominibus inſigniti fuerant, imitarentur, & pro baptiſatis orarent. Vates igitur propter abuſum Iudæos & Iſraelitas reprehendit, etiamſi ad Iſraelitas propriè legatus eſſet. Iudæi cum vicinis claudis claudicare didicerant, qui ex Samariæ contagio, ob vicinitatem facti ſunt idololatriæ & aliorum ſcelerum participes. Vtinam Galli qui monſtris quondam caruerunt, hæreticorum vicinorum criminibus ſe aſpergi ac inſici non ſinerent. Hoc vtique illis immortali gloriæ foret. Diſcamus quæſo aliorũ exemplo prudentes eſſe, vt Amos noſter vtrunque regnum Iuda & Iſrael in ſequentibus monet. *Tranſite in Chalanne* Babyloniorum
Gen. 10.
vrbem præcipuam in terra Sennar, cui Numbrotus imperauit. Hæc Diui Hieronymi temporibus Cteſiphon dicebatur, quæ & Seleucia quondam vocata fuit, ex reliquiis Babylonis conſtructa. Eius ciuitatis præſtantiam diligẽter conſiderate, illámque perluſtrate atque plane conſpi-

cite. *Proficiſcimini inde in Hamat magnam*, ab amplitudine, potentia & celebritate ſic appellatam, quam aliqui Antiochiam eſſe volunt, quę habebat 360. turres in ambitu, totidemque templa dum eam Chriſtiani poſſederunt; *Et deſcendite in Geth Paleſtinorum*, quæ inter quinque Paleſtinorum ſatrapias potiſſima fuit & potentiſſima, quæque clariſſima Oriẽtis vrbibus hîc annumeratur. Num meliores ſint iſtis regnis veſtris, ſcilicet regno Iuda & regno Iſrael, cœli temperie ſolique felicitate & natura? *Num amplior eſt eorum terminus veſtro termino?* Vna Iudæa decem mille vrbes aliquando continuiſſe à Ioſepho in Hebraicis hiſtoriis dicitur. Vult ergo vates; Vos eſtis omnium hominum ingratiſſimi, qui ita terræ vbertate & finium amplitudine, vobis à Domino conceſſa, in delicias veſtras, ſecuritatem & oppreſſionem pauperũ nefariè abutamini. Sicut enim creſcunt dona, ſic & rationes donorũ augentur. Cùm igitur plura vobis bona Dominus Deus conceſſerit quàm ciuitatibus iſtis & regnis, in quibus ſita erãt, cur illum non agnoſcitis, & ipſius prophetas auditis? Has vrbes ad quas remittit Iudæos & Iſraelitas ampliſſimas & ditiſſimas olim

fuiſſe conſtat, ſed in tales anguſtias ipſe tandem redactæ fuerunt, vt tributa exteris penderent. Quoniam igitur tot documenta diuinæ iræ in his maximis ciuitatibus & regnis apparere conſpicerent, fuerunt maiorem in modum ſocordes, qui in ſuis diuitiis & munitionibus fidebant, nec aduentantis mali cauſas præcidere volebant. Notabimus interea ſummam clementiam & indulgentiam, qua erga nos vtitur. Non enim ſimulatque deliquimus nos punit, etſi iuſtè facere poſſet, ſed nos ad ſua priora iudicia, quæ contra profanas gentes exercuit, mittit, vt ipſorum exemplo territi, ad bonam frugem redeamus. Nam ſi harum vrbium munitiones non poterint vim & impetum hoſtium ferre, non eſt, vt vos ipſi vana perſuaſione deluſi, in vrbium veſtrarum munitiones fidatis. Sed cum contrarium faciatis, quis quęſo mores veſtros improbos atque ſummam ingratitudinem ferat? Qui ac ſi prorſus careretis ſenſu, procul quidem putatis diem malum, tempus triſte & aduerſum, tempus ſcilicet captiuitatis, quod breui venturum annuntiant prophetæ. Vobis ipſis ſtulte perſuadetis Dominum dilaturum vltionem in multos annos vel prorſus

nullam; prophetarum prenuntiationes ac ſi vana terriculamenta & quædam fabuloſa eſſent, ſecuri contemnitis. *Propterea appropinquare facitis*, id eſt adducitis *ſedem iniquitatis*, qui ad extremum violentiæ, iniuſtitiæ & tyrannidis gradum deueniſtis. Longe enim abeſſe putatis, quæ vobis cōminātur prophetæ, ideo vitam non emendatis, imo vero in dies deteriores reddimini, iudicia peruertentes, & iniuria pauperes afficientes. Diuus Hieronimus hamenadim intranſitiue exponit. Qui elongatis vos ipſos, id eſt qui ſeparati eſtis & reſeruati à Domino in vicinam captiuitatem, & admouetis vobis ſolium iniquitatis, id eſt veſtris ſceleribus acceleratis vobis, vt breui in Aſſyriam & Chaldæam abducamini ad iniquos & violentos iudices, vbi aſperrimè & crudeliſſimè ſitis excipiendi. Hęc enim confuſio erit genuinum ſecuritatis & confidentiæ carnalis veſtræ ſupplicium. Aliꝭ ſic interpretati ſunt. A die malo vos ſeparatis, id eſt in hoc toti incumbitis, vt in bonis ducatis dies veſtros, & ne humanis & communibus miſeriis agitemini, cæteris laborantibus & multiplicibus ærumnis oppreſſis. Si vero priorem ſenſum ſequamur, pulcherrima erit

המנדים

antitheſis. Procul repellitis diem malum, & appropinquatis ſoliũ iniquitatis: quemadmodũ ſi diceremus, tua ingluuie accerſis morbũ, & tamẽ procul repellere putas. Sic ebrij ſua intẽperie febrem accerſunt, quum tamen ſecuri medicorum conſilia contemnentes eam procul eiicere arbitrantur. Quum ergo ſecuri peccarent nullam calamitatem exiſtimantes in propinquo eſſe, omnibus voluptatibus deliciis & diſſolutionibus operam dabant, nullis effeminatiſſimis & molliſſimis nationibus cedentes. In lectis eburneis precioſis & ſumptuoſis diſtenti iacebant & in ipſis ſupinè ſtertebant luxu diffluentes. Agnos comedebant ex toto grege pinguiores & ouium lectiſſimos, atque vitulos è medio ſaginarij delicatiſſimos, id eſt altiles & ſaginatos, vernaculè *de haulte greſſe*. Maximum indurationis & reprobationis indiciũ eſt, quum grauiſſima pericula vndiq; immineant, pœnitentiam negligere, imo vero omni deliciarum generi ſedeuincire, vt illi qui aquarum diluuium non timentes, nuptiis & gulæ dabant operam, quales futuros paulò ante finem ſeculi prænunciauit Chriſtus Dominus. Nimia vitæ lu- *Luc.17.* xuries ſemper Deo inuiſa, atque homini-

bus ipſis inutilis ac pernicioſa. Quamuis *3.Reg.10.*
in lectis eburneis iacere,(Achab nõ ſolum *2.Par.9.*
lectum, ſed eburneam ſibi domum fecit, *Gen.18.*
& Solomon ſoliũ eburneum auro textum
extruxit) & carnibꝰ delicatis veſci (Abraã *Matth.15.*
habuit vitulum in grege ſaginatum) non *1.Tim.4.*
ſit per ſe malum: nam quod intrat per os
non coinquinat hominem,& omnis creatura Dei bona eſt,diſtinguẽda tamen ſunt
tempora. Nam ſi in pœnitentiæ diebus(in
quibus priores Chriſtiani humi cubantes
Xerophagiis duntaxat vtebantur) ab huiuſmodi deliciis non abſtinueris, Dei vindictam tibi accerſis: vt Hugnoſtici qui ſacræ quadrageſimæ temporibus ac diebus
venerinis ab eſu carnium non abſtinent:
eo quod, inquiunt, omnis creatura Dei
bona ſit, modo cum gratiarum actione
percipiatur. Sed tu,ô Hugnoſtice,non accipis cum gratiarum actione,quando pœnitentiæ temporibus contra vniuerſalem
Eccleſiæ determinationẽ, & in ipſius contemptũ carnibus veſceris delicatioribus.
Si noſter vates cœnarũ luxuriam & pompam vidiſſet quæ hodie fiunt apud Chriſtianos,vbi menſæ non vitulo ſaginato aut
agno extruuntur, ſed & piſcibus vſquam
petilis, auibus altilibꝰ, marinis terreniſque

animantibus atque aliis conquiſitiſſimis cibis,acrius credo noſtros accuſaſſet,quàm iſtos Sionis & Samariæ opulentos. Vt autem ad voluptatem nihil deeſſet & nec vllum voluptatis genus prætermitterent,aures etiam organorum atque concentuum muſicorum ſuauitate demulcebant. *Qui modulantur*,inquit,(vel vt Hæbraicè habetur, qui diminuunt, ſiue particularizant) & pulſant ad præſcriptum, ad rationem & modum nabli:& vt Dauid varia concentuum & organorum genera inuenit,ſic illi ſe pares ei canendi peritia putantes, varia ſibi inſtrumentorum comminiſcuntur genera, quum longe ſint Dauidi diſſimiles. Nam quod Dauid inſtituit,ad cultum Dei & ipſius laudes referebat, hi vero ad delicias ſuámque voluptatem explēdam. Hoc ſolum in Dauide æmulabantur,vt alter alterum in pulſandis inſtrumentis muſicis vinceret. Cæterum Dauidis pietatem & eius pia exercitia flocci faciebant. Nihil aut diuinum, aut angelicum, aut Dauidicis meditationibus ſimile ad inſtrumenta muſica canebant, ſed omnia ad ipſorum menſas,carmina atque ebrietates aptabāt. Si qua fuerint veterum patrum exempla quæ videātur pauliſper noſtris fauere pec-

catis,ſtatim ea trãſuerſe arripimus, quaſi coram Deo propterea inexcuſabiles eſſemus. Animaduertemus interea hîc non damnari artem Muſicæ,quæ Dei donum eſt, à mundi principio datum hominibus, & vt ad pietatis ſtudia ſeſe erigerent, & à curis & moleſtiis leuarentur,tum demum vt malorum etiam demonum impetus & tumultus Dauidis inſtar ſedarent. Muſicæ vero ita eſſe intentum vt vitæ rationem & pœnitentiam negligas, vel ad libidinum fomenta paranda abutaris hoc periculoſiſſimum eſt. Nos iſtis ſatis fuit ſic luxu diffluere,ſed vt ad delitias & genialem vitam nihil deeſſet,largiſſime potãt in phialis amplis & magnis, iíſque aureis & argẽteis cõcinnè fabrefactis & precioſis:atque lectiſſimis ac primariis vnguẽtis, quorum vſus apud Iudæos frequens olim fuit, ſeſe vngunt, interea publica calamitate nil mouentur: ſiquidem *non ſunt infirmati ob calamitatem Ioſeph*, id eſt regni Iſraelitici vices minime doluerunt,quod peſſum ire in dies conſpiciebant. Et ſi Eccleſia Græca à nobis diſſideat in aliquibus,ob contritionem tamen & deuaſtationem eius lugere debemus, & pro ipſa indeſinenter orare. Sed audiamus quid futurũ erit. Propterea

*Gen.4.*

ſamiam inter primos exules captiui abducentur, recedetque conuiuium ſuperfluorum, profuſorum & luxuriantium. Quandoquidem optimates & primores ſunt in deliciis primi comeſſationibus & ebrietatibus, ita primi in captiuitate erunt, alios antecedent, vt qui in triumpho captiui ducuntur. Tunc enim diſſipabitur caupona, conuiuium ſocietas & conciliabulum diffluentium luxu. Ex his omnibus diſcamus, quum pericula Reipublicæ Chriſtianæ imminent, non genio indulgere, imo vero fructus pœnitentia dignos faciamus, vt ſic Deum Patrem per dilectum filium ſuum ad miſericordiam flectamus: Cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

## Homilia 19.

*IVrauit Dominus Deus in anima ſua, dicit Dominus Deus exercituum, Deteſtor ego ſuperbiam Iacob, & domos eius odi, & tradam ciuitatem cum habitatoribus ſuis. Quod ſi reliqui fuerint decem viri in domo vna: & ipſi morientur. Et tollet eum propinquus ſuus, & comburet eum, vt efferat oſſa de domo, & dicet ei qui in penetralibus domus eſt: Nunquid adhuc eſt pœnes te. Et reſpondit, finis eſt. Et dicet ei: Tace & non recorderis nominis Domini. Quia*

*ecce Dominus mandauit, & percutiet domum maiorem ruinis & domum minorem ſciſionibus. Nunquid currere queunt in petris equi, aut arari poteſt in bubalis, quoniam cõuertiſtis in amaritudinem iudicium, & fructum iuſtitiæ in abſinthium? Quia lætamini in nihili: qui dicitis, Nunquid non in fortitudine noſtra aſſumpſimus nobis cornua. Ecce enim ſuſcitabo ſuper vos, domus Iſrael, dicit Dominus Deus exercituum, gentem: & conterent vos ab introitu Emath, vſque ad torrentem deſerti.*

DOminum Deum ſuperbiam, faſtum & arrogantiam ſemper deteſtatum & abominatum fuiſſe, vniuerſa prodit hiſtoria. A Nabuchodonoſore principe ſuperbo & elato, eo quod vniuerſam ferè terram ſuæ ditioni ſubieciſſet, exordiamur: quem cum Dominus ad ſummum regni faſtigium euexiſſet, in tantam ad extremum deiecit miſeriam, vt à regno præceps deturbatus, & neſcio quo morbo correptus cũ beſtiis iret pabulatum. eò enim *Dan.4.*
caſus illius turpior fuit, quò è tam ſublimiori ſolio ipſe ceciderit. Abominatio Domino, dicebat ſapiens, omnis altitudo *Prou.16.*
cordis, qui & ſuperbis vtique reſiſtere ſolet, vt illi Haman, qui faſtu turgens, pati- *Eſter 7.*
bulum Mardocheo parauerat, quia genu

ante eum minime flectebat, in quo tãdem ipſemet ſuſpenſus eſt. Non mirum igitur ſi Dominus Deus iureiurando aſſerat ſe deteſtaturum elationem, faſtum & arrogantiam Iacob. Quid enim Deo & hominibus odioſius & moleſtius eſſe poteſt, quàm pauperis & obſcuriſſimi hominis ſuperbia atque inſolentia? Tres peccati
Eccl. 25. ſpecies odiuit ſapientis anima, Primum pauperem ſuperbum. Cùm igitur Iacob ab initio pauper & miſellus fuerit, cui fugienti à facie fratris, vix baculus ad viam ſuppeditabat, quis niſi moleſto & iniquo animo ferret ſuæ poſteritatis ſuperbiam & inſolentiam? *Iurauit Dominus Deus per animam ſuam*, id eſt per ſemetipſum, quod nõ habeat maiorem per quem iuret, *Abominor faſtum Iacob*, id eſt decem vel potius omnium tribuum, & arces eius odi: itaque compingam in manum atque iugum hoſtis vrbes, atque ipſarum vrbium incolas. Ne vllam ſibi felicitatem diuturnam ſomniarent, & vt ſcirent vatem ſeriò loqui, eiuſque prædictiones certas atque cõſtantes fore, Deum per animam ſuam iurantem ipſe proponit. Rabi Selomo pro anima interpretatur, ex ſcientia & mente ſua, quem ſenſum & interpretationem D. Hilarius

larius Epiſcoporum Galliæ decus ſequutus, ſic in Arrianos argumentatur: Deus Pater per ſuã ſapiẽtiam. (Sapientia, Scientia & Mens de Filio enunciantur) iurat, atqui per inferiorem non iuraret, qui per ipſum iurare ſolet, ſequitur ergo Filium eſſe Patri æqualem; quum Sapientia, Scientia & Mens Patris, ſit Filius vnigenitus Dei. Hoc argumentandi genus Caluino friuolum quidem videtur, qui D. Hilarium à ſancto Hieronimo toties laudatũ genuino dente rodit, vellicat & carpit. Certe ille bonus vir, ait, nihil aliud quã ludibrio proſtituit ſanam doctrinã, cũ vellet refellere Arrianos. O impudẽtiſſimum hominem! de te ac tui ſimilibus ſcitè quidem ac lepidè dicebat eloquentiæ parens: Qui verecundiæ fines ſemel tranſierit, eum bené & nauiter oportet eſſe impudentem. Neſcio ſi quis Arrianorũ fuerit iſto nebulone impudentior. Verum hæc hactenus. Redeamus ad illud vnde diuertimus. *Iurauit Deus per animam ſuam*, &c. Scripturæ mos eſt, Deo corporis mẽbra tribuere, ne dum animam, noſtræ imbecillitati ſeſe accommodans. Dei iuramentum nihil aliud eſt quàm decretum eius quod variari diffingi cõmutatique nequit, quo immutabiliter

decreuit ſe magna ſeueritate iſtas minas exequuturum. Si prophetarum minis credere non dignemini ô vos qui genio indulgetis & omni voluptatum genere diffluitis, ſaltem Deo per ſemetipſum iuranti credite. Veſtram ipſam arrogãtiam quam ex munitionibus veſtris vel ex nupera victoria à Hieroboamo rege veſtro parta, concepiſtis, abominatur. Decem tribus victoriam, quam ex Hemath & Damaſco retulerant ſuæ falſæ & ſuperſtitioſæ religioni ſuperbè tribuebant, vt omnes hæretici, qui in nouis & falſis opinionibus gloriantes & ſuperbientes cõſueuerunt. Multi Hebræorum cum ParaphraſteChaldæo de templo & cultu diuino, quem putum retinuerant duæ tribus, intelligũt: ita enim
*Hier.7.* in templo ſuperbiebant vt cõtra omnium prophetarum vaticinia, tanquam murum æneum templum Domini perpetuo ſecuri opponerent. Illud interim abominatur Deus; ædes quoque ipſorum vel ſplendida palatia ſumptibus innumeris & pauperum ſanguine ædificata proſequitur odio. Itaque ciuitatem & plenitudinem eius, id eſt diuitias & omnem ſupellectilem in hoſtium manus tradet. Hæretici cum ſuis recentiſſimè excogitatis opinionibus glo-

riantur, ac ſi veritatem ex profundioribus puteis tandiu occultatam eruiſſent, & Catholici vt qui purum cultum vſque in hodiernum diem penes ſe retinuerint. Sed magnopere vereor ne ſuperbiam & gloriationem vtrorumque deteſtetur Dominus, & ciuitates noſtras, quod ipſe auertat, cum incolis funditus euertat & perdat, vel bello, vel peſte quam iſtis ſeruatis ex prǫlio minatur. Nam ſi contingat alicubi vel decem viros ex magna multitudine, vim hoſtilem ſubterfugere abſcondendo ſe in vna domo, nihil proficient: Nam aut ab hoſtibus cædentur, vel abſumentur peſte. Quocumque ſe abſconderint homines, Dei manum effugere non poſſunt, etiam ſi multa ingentia pericula prius euaſerint. Tanta mortuorum vel gladio vel lue futura eſt multitudo, vt vix reperiri poſſint, qui ad ſepelienda corpora ſufficiant. Nam non erunt filij vel fratres, qui ſuperſint iſtis miſeris ad ſepeliēda ipſorum corpora, ſed ea ſine funeris pompa, ſine ſepulchralibus ceremoniis tollet auunculus vel patruus, aut aliquis ex propinquis aut cognatis deforis, qui ſibi timens ob grauitatem peſtis non audebit cadauera domo efferre, ſed poſtquam combuſta

fuerint, educet oſſa de domo. Summum calamitatis genus eſt, nullos poſt ſe relinquere poſteros, qui infirmum vel medicamine vel conſolatione curent, aut ſi mori contingat, non adeſſe qui ſepeliat, quique agat ei veſpilonem, & iuſta perſoluat, ſicut tempore peſtis fieri ſolet. Sunt in Normania noſtra quędam ſodalitia charitatis nomine nuncupata, quæ graſſante etiam importuniſſima peſte in deffunctorum ædes intrepidè penetrant, & eorum corpora religioſe humi tradunt & iuſta perſoluunt. Quamuis cælo tegatur qui non habet vrnam, non minima tamen legis maledictio
*Deut. 28.* eſt carere ſepultura & iuſtis exequiis,
*Hier. 16.* quod in miſerrimis etiam ærumnis anti-
*Pſal. 78.* qui poſuerunt, teſte Dauide, Dederunt cadauera ſeruorum tuorum eſcam volatilibus cœli, & non erat qui ſepeliret: tanta
*Deut. 21.* inquam olim iudicabatur, vt lex Moſis ne publicum quidē facinoroſum, in crucem ſuſpenſum inſepultum remanere voluerit. Felices ſane, qui poſt ſe relinquunt amicos de mãmona iniquitatis ſibi comparatos, non ſolum ad ſepelienda corpora noſtra, ſed etiam qui pro nobis fundant
*Act. 9.* preces apud Dominum, vt pauperes pro Dorca, quos veſtierat & nutrierat. In iſta

ſic graſſante lue dicet qui in lateribus domus eſt, *tace*, ne ſi intẽta voce clames, conſternas alios ob peſtis ſæuitiam. Non ita lamentare, quando meritò hæc patiuntur, quibus hæc iuſtè acciderunt, quippe qui nominis Domini non fuerint recordati, dum viuerẽt, ſed ſuperſtitionibus & falſæ religioni potius additi fuerint. Aliqui ſic interpretantur; Ne commemores nomen Domini, neque eum prædices (qualis prædicari ſolet) mitem, clementem & benignum, quum nunc longè aliud experiamur, eum videlicet in nos ſæuiſſimum, qui tanta nos peſte percellat. Diuus Hieronimus de eo qui foris erat intelligit, dicenti ei qui intus erat, iurare volenti per nomen Domini, nullum eſſe cadauer efferẽdum. Tace, quia non eſt tibi commemorandum nomen Domini vt aſſeueres. Fidem tibi vel iniurato habeo. Tãto calamitatis pondere & præſenti neceſſitate preſſi noluerunt nomen Dei commemorari, ad quem tamen ſumme confugiendum erat, vt ad eum qui huiuſmodi communes calamitates excitat, quod & vates in ſequentibus innuit. *Nam Dominus mãdabit & percutiet*, id eſt, decernet vel curabit percutiendam *domum magnam ruinis* vel confractionibus,

*& domum paruam ſciſsionibus*. Quaſi diceret: Nec potentioribus parcet, nec tenuioribus, omnia vtriuſque regni ædificia diruenda ac funditus euertēda, tum per Salmanaſarem Aſſyriorū regem, tum etiam per Nabuchodonoſorem, curabit. Non magnificis ac ſumptuoſis domibus, vt nec humilioribus parcet. Per domum maiorem, regnum Iſrael intelligere poſſumus, copia & multitudine hominum regnum Iuda ſuperās, quod ruïnis percutiendum, hoc eſt omnino diruendum: per minorem vero duas tribus, quæ reſtitutionis ſpe non deſtituebantur, ideo ſciſſuris tantum afficiendam præcinit. Huic interpretationi fauere videntur Biblia Chaldaica, quæ ſic habent. Quoniam ecce Deus mandauit, & delebit regnum magnū deletione forti, & regnum paruum deletione debili. Quis autem viribus humanis auertere poterit quod Deus decreuit ac ſtatuit? Nemo certè tātis malis obſiſtere poteſt, niſi ſola pœnitentia. At obiiciet quiſpiam, ſi Deus mandat, quomodo percutit: ſi percutit, quomodo mandat? Reſpondetur quę per alios facit, ipſe facere dicitur. Addet aliquis, ſi Deus curat per alios ſua iudicia exercenda, quare poſtea in executores ani-

maduertit? Quia nihil minus cogitant quàm Dei voluntatem exequi, ſed ſolum ſuam ſatiare & explere libidinem & auaritiam curant. Iudices qui ſontes morti adiudicant, in pretio atque honore habentur ab omnibus, quia ob commune & publicum bonum id faciunt, vbi tortores exploduntur, quia certa quadam turpis lucri ſpe, & auaritia ducuntur. Sed audiamus quid iſti ſuis munitionibus nimiũ fidentes reſponderent. *Num in rupibus equi currunt? Num bobus quiſpiam eas rupes arat?* His ſimilitudinibus & belli & victoriæ copiam prorſus hoſtibus negabant. Nam equi quibus Aſſyrij plurimum valuere, non erant alis præditi, vt in rupes (in quibus & Samaria & Hieruſalem ſitæ erant) aſcendere & currere poſſent, nec in eis boues arare, quod expugnationis & victoriæ olim ſignum fuit. Vel interpretabimur iſtas duas elegantes ſimilitudines ſine mimæſi, ſed ac ſi à vate obiicerentur, vt oſtenderet hos duos populos meritò tot & tanta mala pati. Nũ currẽt in rupe a lebroſa equi? Quis eques per petroſa ſaxoſáque loca equum ad curſum incitat? An quis ferat equitem ſeſe cum equo in ſaxa præcipitantem; vel agricolam, qui iunctis bobus petram ſuo

aratro velit proſcindere? Q. d. minime. At vos tam abſurdè facitis, dum ius peruertitis, quàm ſi quis velit rerum ordinem inuertere, & præter conſueta facere. Vos etiam ſolitam Domini naturã & clementiam mutatis in aſperitatem, perinde ac ſi quis contra morem, equum incitet per aſperam rupem, aut aret bubalo, animali indomito: propterea quicquid acturi eſtis niſi per ſeriam pœnitentiam conuerſi fueritis ad Dominum, non aliter vobis ſuccedet, quam ſi quis per rupes equm concitaret, aut bobus araret in rupe, vel etiam bubalos indomitos arationi vellet accõmodare: quod fruſtrà & ſine vllo fructu faceret. Fruſtratorius ſane erit omnis arãdi aut currẽdi labor, vbi non ſunt niſi ſaxa & rupes: ita quando impiorum corda ſunt montoſa lapidea & ſaxoſa, quicquid illic araueris ſeminaueris aut plantaueris, non poteſt altas agere radices. Fabulam eſt ſurdis canere, vt prouerbio dicitur. Populus iſte quondam vinea Domini & ager, ſaxoſus euadit, ita vt nullus apud eos Dei beneficiorum curſus, nullus amplius fructus ſperandus. Iudicium enim veſtrum, id eſt ius & fas, per quod miſeris auxilium præſtari oportuit, & quo in facinoroſos ani-

maduertere debuiſtis, cõuerſum eſt in fel & toxicum, id eſt in tyrannidem; & iuſtitia quam pax & ſumma quies comitari ſolet, res omnibus dulciſſima & iucundiſſima, in abſinthium, id eſt in ſummam amaritudinem, iniuriam & truculentiam conuerſa fuit. Et vt ſummatim dicam, in vtroque regno veſtro nec ius dicitur, nec leges obſeruãtur, neque ęquitas viget, florétque, ſed vbique regnant violentia, tyrannis & impietas. Omnes ordines vitiati ſunt & corrupti. Similia de regno noſtro Gallico & cęteris titulo tenus Chriſtianis dici poſſent. *Præterea de re nihili lætabantur*, nimirum in ſuis opibus & potẽtia ſibi nimium placẽtes, quæ breui illis extorquẽda erant. Ipſis enim videbatur, quod ſuis viribus & robore priſtini ſtatus aliquantam conditionem, ſub Hieroboamo huius nominis ſecundo, ſibi reſtitutam fuiſſe; quapropter nihil miſericordiæ diuinæ tribuentes, ſed ſibiipſis, gloriabũdi dicebãt, *An non robore noſtro, viribus noſtris aſſumpſimus nobis cornua*, id eſt imperium, hanc potentiam, opes & rerum faſtigium? Hæc omnia cornibus ſignificantur. An non noſtra comparauimus induſtria? Hoc enim impiorũ & ſceleratorum vtique ingenium eſt, qui

vt in afflictionibus fremunt, indignantur & deſperãt, ſic rebus proſperis inſoleſcũt, gloriãtur, atque diuinæ miſericordię obliti, fortitudini ſuæ aſcribũt omnia. Ad hæc vtrumque regnum Iuda & Iſraelis pietatis ſpeciem pro re ipſa obtendebant, quod gloriari לא דבר lo dauar de nihilo, ob non rem, abs re, dicit vates. Nam regnum Iuda in templo & cultu externo gloriatur, quod Dominus nihil ſit facturus, neque rationem eius habiturus, ob tantam ſceleratorum impietatem: Iſraelis vero regnum iactitabat puriorem diuini cultus reformationem, & quod eſſet ipſius Dei populus, velut omnes hæretici iactitare ſolent. Sed Dominus Deus tãdem omnium arrogantiam retundit, quippe qui ægrè fert ſupra modum quando gloriam eius nobiſipſis arrogamus. Scimus enim nos nihil poſſe ex viribus noſtris gratia deſtituti, nihilque
1.Cor.4. habere, quod nõ acceperimus à Deo. Vult ergo vates, Quid quæſo eſt humana fortitudo, niſi vmbræ ſomnium, aut ſi quid eo ſit inanius. Hoc ſatis ſuperque viſum eſt in iſtorum regnorũ euerſione, quam in textu ſequenti minatur Deus. *Ecce ego ſuſcito*, id eſt excitabo, educam, *ait Dominus exercituum, aduerſus vos, ô domus Iſrael gentem*, ni-

mirum potentem, ferocem & ſæuam, quæ vos arctabit, premet vrgebit & affliget. Illa gens cuncta rurſum cum magno fœnore eripiet, ab introitu Antiochiæ (quę conſtituitur vnus ex finibus terræ Iſrael ab ortu Septentrionali) vſque ad torrentem planiciei ſeu campeſtrium, id eſt Nilum vt aliquibus placet, vel Arabum fluuium, qui eſt alter finis totius terræ Iſrael ab occaſu meridiano. Videmus pœnam debitam his, qui de ſuis viribus & robore gloriantur, vt pote res quæ illis gloriabundis laudi ceſſerat, in ignominiam & dedecus verti. Secundus ſiquidem Hieroboam multa quæ antea fuerant amiſſa reſtituerat, vt 4. Reg. cap. 14. ſcriptum eſt; ſed illa rurſus cum fœnore Salmanaſar eripit, ita vt quicquid bello comparauerant, iterum maiori damno perdant. Ne igitur viribus noſtris, quæ nullæ ſunt, ſubnitamur. Quod ſi Dei miſericordia augeantur bona noſtra, & fines longius proferantur atque propagentur, ipſum bonorum largitorē collaudemus: Cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

*HAEC oſtendit mihi Dominus Deus: & ecce fictor locuſtæ in principio germinantium ſerotini imbris, & ecce ſerotinus poſt tonſionē regis. Et factum eſt cum conſummaſſet comedere herbam terræ, dixi, Domine Deus propitius eſto, obſecro: quis ſuſcitabit Iacob, quia paruulus eſt? Miſertus eſt Dominus ſuper hoc: Non erit, dicit Dominus. Hæc oſtendit mihi Dominus Deus: & ecce vocabat iudicium ad ignem Dominus Deus, & deuorabit abiſſum multam, & comedit ſimul partem. Et dixi, Domine Deus, quieſce obſecro: quis ſuſcitabit Iacob, quia paruulus eſt? Miſertus eſt Dominus ſuper hoc. Sed & iſtud non erit, dicit Dominus Deus.*

DEVS qui poſtremis hiſce temporibus Eccleſiæ plenè loquutus eſt per Filium, olim multis vicibus variiſq; modis per prophetas aliquatenus propoſitis vmbris & certis imaginibus loquebatur, vti diſertè
*Heb.1.* Apoſtolus in principio epiſtolæ, quæ ad Hebræos inſcribitur, docet. Erant enim tunc temporis & illius ſeculi homines rudes & inexculti, qui faciem Moſis niſi ve-
*2.Cor.3.* latam cōſpicere eámque aduerſam intueri non poterant, propterea huiuſmodi verborum inuolucris & propheticis ſpectris

opus habuerunt, quibus Dei voluntas illis aperiretur ac eluceſceret. Vates igitur noſter tempori atque auditoribus ſeſe accommodans, viſionibus ſibi à Deo oſtenſis tria calamitatum temporalium genera, famem, peſtem & gladium, quibus populos ſceleribus & impietati obnoxios afficere ſolet, ſuper Iſraeliticum populũ ventura, ante vltimam Aſſyriorũ euerſionem in hoc capite denuntiat. Verúmtamen duo ex illis, vatis ſuplici oratione & precibus, ſunt auerſa atq; auerrũcata, vt in textus explanatione perſpicue videbimus. *Hæc* vel ſic *oſtendit mihi Dominus Iehoua.* Hactenus Dominus Deus Iſraelitas præfractos & rebelles hæreticos per prophetam ſolo verbo erudierat, nunc vero lumine diuino amplius colluſtratus viſiones admonet, nullum non mouẽs lapidem ſi quo modo ad ſaniorem mentem poſſet eos reducere, & ad meliorem frugem reuocare. O quàm arduum & difficile eſt illos qui ſemel à recta fide & vera Eccleſia deſciuerunt, rurſum per pœnitentiam reuocari? & maxime ſi ſchiſmatis & hæreſeos gangrena iam inueterata fuerit. Non abs re iubet Apoſtolus, vt Titus atque alij Epiſ- *Tit.3.* copi reiicerent hominem hæreticum poſt

primam & ſecundam correctionem vel admonitionem (non dixit, vt animaduertit Tertulianus, diſputationem) vt qui nouerant euerſum eſſe eum qui fuerat huiuſmodi, & peccare, vt qui ſuopte iudicio ſit condemnatus. Obtendunt ſiquidem ſcripturas, ait ille totius antiquitatis Chriſtianæ fidus promus condus Tertulianus, & hac ſua audacia ſtatim quoſdam mouent: in ipſo vero congreſſu firmos quoſdam fatigant, infirmos capiunt, & medios cum ſcrupulo dimittunt. Præterea hæreſis non recipit quaſdam ſcripturas, & ſi quas recipit, adiectionibus & detractionibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui interuertit: Et vt breuiter dicam, nihil non efficiũt, vt ſuam hæreſim deffendant ac tueantur: nec beneficiis nec minis & terroribus ad vnionem, à qua ſe vltro diuulſerunt, adduci poſſunt, vt de iſtis decem tribubus liquidò conſtat. *Sic* vel tale quippiam *oſtendit mihi Dominus Deus*, nempe fingentem & de nouo creantẽ locuſtas, quæ prius non erant, initio videlicet poſterioris herbæ vel ſecundæ, quàm Galli *regain, reuignon*, Latini cordũ fœnum fœniſecium appellant, herbiſeciam dicere poſſumus, herbam videlicet, quæ vbi reſecta eſt, renaſcitur. Aliqui

de herba tritici interpretantur, quæ primũ excreſcit in gramen luxuriãs, quæque multis in regionibus reſecari ſolet, vel in eam immittũtur beſtiæ, vt eam depaſcãt. Dum enim renaſcitur & in culmum ſuccreſcit, frugibus maximum imminet periculum. Quod ſi tunc temporis locuſtæ vel alia inſectorum genera fruges depauerint atque aſſumpſerint, certa erat expectãda fames. Ideo eo tempore locuſtas videt adduci à Deo in fruges abſumendas, quum videlicet gramen cordum demeſſum iam primum repullularet atque ſuccreſceret poſt detonſiones regis, id eſt poſtquam herba prima detonſa & reſecta fuiſſet in vſum & eſum regiorum iumentorum, vel publico edicto regio, vt de vindemiis fieri ſolet, quas non quilibet ſua ſponte incipere non poteſt, niſi publicè à regiis miniſtris vel dominorum fuerint indictæ. Sunt qui per tõſionem regiam, tempus intelligunt quo regis greges tondebantur: alij nouas exactiones à rege impoſitas, quæ exigi ſolent vere inſtante, eo quod vernum tempus ad bella gerenda, quorum prætextu intollerabilia tributa à populo reges exigũt. Quo quo modo intelligamus tonſiones aut ſectiones regias, ex his colligere licebit mul-

ta eſſe regibus permiſſa, quæ iniquo animo non ferenda ſunt. Ne igitur hos perduelles hęreticos audiamus, qui hac ſacræ ſcripturæ ſententia perperam intellecta,
*Act.5.*
*1.Pet.2.*
*Apoc.5.*
Melius eſt obedire Deo quàm hominib⁹: & altera, Vos eſtis regale ſacerdotium, reges & ſacerdotes &c. Regibus tributa pãdere negant. Et quia fames pluribus modis accidit, videlicet aut hoſtili incurſione, aut pluuiarum defectu, aut inſectorum vaſtatione, aut vredine, aliíſque agrorum peſtibus, nomen Hebræum vel potius Chaldęum eſt numeri multitudinis & ſignificat locuſtas & exactores. Summa interea viſionis eſt, Oſtẽdit plagam grauiſſimam, quam merebantur Iſraelitæ & qua prorſus delerẽtur, vt locuſta abſumit omnia è terra naſcentia: vel iuxta literam dicere poſſumus, Deum locuſtas immiſiſſe,
*Ioel. 1. & 2.*
vt in Ioele legimus. Iſtæ beſtiolæ frugibus nocentiſſimæ bella & tumultus prænuntiare ſolent. Mirum tamen alicui videri poſſet Aſſyriorum exercitũ locuſtis comparari. Sed ſi attentè cõſideraueris breuem vanitatẽ ac tranſilientes ſuperborum Monarcharum pompas cũ vniuerſis ipſorum exercitibus, inuenies eos locuſtis debiliores.
*Eſa.40.*
Eſaias habitatores terræ vocat locu-

ſtas:

ſtas,& poetæ bella & tumultus hominum per ironiam βαθραχομυομαχίαν. Sed ad rem redeamus. Omnes ſatis & ſuper ſcire poterant propter ſcelera ipſorum illas publicas calamitates venturas,ſed ſolus vates ſeriò intelligit & pro ipſis auertendis ſumme deprecatur. Factum eſt ergo quum locuſta herbam terræ depaſcere abſoluiſſet, id eſt quum viderẽ omnes penè renaſcentes fruges à locuſta vel exactoribus exeſas, *dixi, Domine Deus ignoſce quæſo, quis eſt & quomodo reſurget Iacob?* Quis ſuſcitabit ſi eum perdideris? quia paruus eſt,id eſt,iam vndiquaque admodũ imminutus & eius res acciſæ, vt leui clade accepta iam de eo actum ſit. Vates qui in arguenda Iſraelitarum apoſtaſia & aliis ſceleribus maxime ſeuerus fuerat & rigidiſſimus, vt in explanatione ſex ſuperiorum capitum intelleximus nũc perſpiciens viſionis myſterium & quò tenderet, ad preces & vota pro populo maxime ingrato cõuertitur. Vtrumq; alta mente reponere debent ij, qui docendi munus ſubeunt, nempe in arguẽdis populi vitiis præſtent prophetarum ſeueritatem: vt autem Deum iratum ſenſerint erga populum ſibi cõmiſſum, ad preces ipſi currãt, omnium etiam iniuriarum prorſus

immemores. Sic Moyſes plurimis affectus
Exod. 32. iniuriis à ſuis, potius elegiſſet e libro vitæ
deleri, quàm Dominus Deus illos perdidiſſet.
Rom. 9. Apoſtolus magis anathema & reiectitium eſſe cupiebat pro fratribus, quàm vt ipſi perirent, etiam ſi vix infenſiores haberet hoſtes. Diſcamus igitur & iſtorum & prophetæ exemplo in populi ſcelera, quum res poſtulabit, excandeſcere, & ſtare interea ex aduerſo iræ Dei, noſque opponere murum pro domo Iſrael, id eſt Eccleſia,
Ezech. 13. vt apud Ezechielem ſcribitur. Illud eſt animaduerſione dignum ſanctos homines, nobis negligentibus multas pœnas à Deo contra nos paratas ſuis ſacroſanctis precibus auerruncare & auertere. Vates in oratione ſua Iacobi meminit, vt quondam
Exod. 32. Moſes aliorum etiã patriarcharum, Eſto, inquiebat, placabilis ſuper malitia populi tui. Recordare Abraam, Iſaac, & Iacob ſeruorum tuorum, quibus iuraſti
Deut. 3. per temetipſum dicens, &c. Quodque dixit Daniel: Ne auferas à nobis miſericordiam tuã, Domine Deus noſter, propter Abraam dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iacob ſanctum tuum. Multum enim valet apud Dominum deprecatio iuſti etiamſi vita functi, vt notat Chryſo-

ſtomus. Quando, inquit, inter viuos homines quibus loquendi fiducia ſit, quique peccatores reſtituere poſſit, nullos prorſus inuenerit, tunc vero ad mortuos ille profugiẽs, Per eos inquit, peccata remitto A. ludit ad id quod habetur 4. Reg. 20. Protegam vrbem iſtam propter me, & propter Dauid ſeruum meum. Dicit ergo vates, *Quî conſiſtet Iacob*, cuius iam minor proſapia eſt, quàm vt poſſit diu durare? Ciuilia bella & quæ cum vicinis ſuſceperãt, Iſraelis regnum multum imminuerant, quemadmodum dicere poſſemus, & meritò de Gallico noſtro regno. Sed hæc hactenus, redeo ad textum. Cum autem hoc deprecaretur propheta, pœnituit Dominum ſui inſtituti, huius ſententiæ ſuæ (ἀνθρωποπαθῶς id dictum eſſe puta) ita vt dixerit hoc non fore, quod viſione ſignificabatur. Videamus quantum poſſit & prophetæ ſtudioſa oratio & ſimul ſummam Domini clemẽtiam, qui nihil non efficiat, vt tam obſtinatum populum reuocet, ſi fortè non pereat. Ad vnius prophetæ vocem pœnam totius populi remittit, & pœnitentia ducitur ſuper his quæ per viſionem minatus fuerat, extremam videlicet famis miſeriam. Duo hîc præcipue mihi notatu digna videntur:

*Homil. 5. de virtutibus & vitiis.*

Primo loco Deum mortificare & viuificare, ad inferos amandare & ab illis excitare. Nam cum res Iſraeliticæ à regibus Syrorum acciſæ & in morem pulueris attritæ peſſimè ſeſe habuiſſent, & Iſraelis regnum penè deploratum eſſet & conclamatum, reſtituit illud ſub Hieroboamo fere in priſtinam gloriam, vt pij omnes, qui nondum genua coram Baal flexerant, bene ſperare in aduerſis diſcerent, & ad Dominum Deum ſeſe cõuertere, qui felicem & proſperum exitum omnium tribulationum & afflictionum iis, qui in ipſo confidunt, miſericorditer tribuit. Secundo loco colligere poſſumus quãtum valuerit prophetæ deprecatio, breuis quidem ſed fide & pietate inſignis, quæ Dei furorem in hunc populum pertinacem præfractum & rebellem iuſtè conceptum reſtinxit. Idem
Eccl.32. de Moſe legimus, quem ſic Deus alloquebatur: Dimitte vt iraſcatur furor meus cõtra eos & deleam eos. Moſes nihilominus deprecatus eſt Dominum, qui & oratione
Ezech.13. promulſus ac placatus eſt. Deus apud Ezechielẽ prophetis grauiſſima minatur ſupplicia, quia ipſius indignationem precibus non amoliti fuiſſent. Væ prophetis inſipientius, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, &

nihil vident, non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prelio in domo Domini. Sed attendamus mortalium ingratitudinem & cæcitatem. Cum res Iſraeliticæ melius ſe habere cœpiſſet, & Hieroboam multis victoriis potitus eſſet prophetarum orationibus, nihilominus principes gloriantes dicebant: Nonne fortitudine noſtra aſſumpſimus cornua? Tantum abeſt vt aliquid victoriæ prophetarum adſcriberent orationibus, vt potius ipſos perſequerentur, & finibus ſuis pellerent, ac ſi malorum regni autores fuiſſent, nedum felicitatis & proſperitatis. Altera tamen viſione quæ prioris confirmatio videtur, indicat quanta beneuolentia & fauore ob ſupplicem vatis orationem priori ferè ſimilem, ſit hunc populum proſecutus. Rurſum ait, *huiuſmodi quippiam viſum oſtendit mihi Dominus Deus: & ecce* (hæc particula rem attentione excipiendam demonſtrat) *vocabat ad iudicium*, ad iurgium ſiue ad vindicandum, ſeu ad iudicandum *per ignem*, vel in igne *Dominus Deus*: vocabat inquam ſuos Angelos vel alios miniſtros, qui per ignem iudicata exequerentur. Per ignem peſtilentiam intelligimus, quæ naturam

quādam igneam habet, & cui vt ignis celerrima atque efficaciſſima vis ineſt. Atque iā ignis mihi videbatur abſumpſiſſe abyſſum magnam, id eſt, voraginē & magnam aquarum ſubterranearum vim. Vorauit etiam partem ſcilicet gentis Iſraeliticæ peſte conſumptam. Diuus Hieronimus templum intelligit, quę peculiaris erat Domini pars. Putat etiam priorem viſionem ad decem tribus pertinere ab Aſſyriis delendas, alteram vero ad duas euertendas igne Nabuchodonoſoris & Chaldęorum. Taceo eos qui hæc ad Hazaelis Syri tempora referunt. Sunt qui vtranque viſionem de decem tribubus intelligunt, quaſi ſignificaret Dominus ſe plane & funditus decreuiſſe eas perdere: quod ne faciat ſupplicibus vatis precibus auertetur, qui dixit, *Domine Deus*, *deſine* vel deſiſte *quæſo, qualis exurget Iacob? quia paruus eſt* & admodum imminutus. Si ei rurſum tantam hanc plagam inferas, qualis & quo pacto emergere poſſit qui nūc tantillus ſit? Oneri haud dubie ſuccumbet, & calamitatis pondere opprimetur. Breuiſſimam audi orationem, quæ vix tria aut quatuor verba contineat, ſed plurima obtinet. Breuis quidem oratio eſſe debet, ſed multa & magna

fide charitate condita. Ne ſitis multiloqui, ait Chriſtus. Non enim in multiloquio, ſed in multa fide & feruenti deſiderio qui precatur exauditur. Iſta ſecũda vatis oratio nihil aut parum differt à prima, quæ repetitio deſiderium erga hunc populum ſignificat. Hoc loco recentiorum hæreticorũ calumnia refutatur, qua laceſſunt mulierculas & Eccleſiæ Catholicæ ſimpliciores, qui orationem Dominicam multoties repetunt: quaſi Daniel non oraſſet ter quotidie verſus Hieruſalẽ dum exul apud Babylonios retineretur. Chriſtus Dominus etiam in horto ter patrem rogauit eundem ſermonem dicens. Bis vates eandem ferme orationem profert, vt plagam illam ſignatam priore longe multo atrociorem auerteret, quod & factum eſt. Nam & huius ſecundæ ſententiæ pœnituit Dominum patientem & multum miſericordem. Aſſidue igitur Deum Patrem in nomine Filij charitate accenſi precemur ex fide, vt impendentia Eccleſiæ Catholicæ pericula procul repellat: Cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen. *Matt.26.*

*HÆC oſtendit mihi Dominus Deus, & ecce Dominus ſtans ſuper murum litum, & in manu eius trulla cœmentarij: Et dixit Dominus ad me, Quid tu vides Amos? Et dixi, Trullam cœmentarij. Et dixit Dominus, Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Iſrael, non adiiciam vltra ſuperinducere eum. Et demolientur excelſa idoli, & ſanctificationes Iſrael deſolabuntur: & conſurgam ſuper domum Ieroboam in gladio. Et miſit Amaſias ſacerdos Bethel ad Hieroboam regem Iſrael, dicens: Rebellauit cõtra te Amos in medio Iſrael, non poterit terra ſuſtinere vniuerſos ſermones eius. Hæc enim dicit Amos: In gladio morietur Ieroboam & Iſrael captiuus migrabit de terra ſua.*

QVI dies nocteſque agunt inſomnes, quique toti incumbunt vt verbo & opere hominum ſalutẽ procurent, quemadmodum Prophetæ & Apoſtoli, ob inuictiſſimos labores in hac prouincia aſſumendos, cõmendatiſſimi apud omnes eſſe deberent. Ingratiſſimum tamen hominum genus huiuſmodi obruit calumniis, diem capitis dicit illis coram regibus & principibus, atque perditos maxime cupiunt, vt cum multis aliis tum etiam

hoc exemplo docemur. Amos enim noſter qui pro priore & altera plaga huic præfracto populo iuſtè infligenda deprecatus fuerat, & in illo promouendo, tuendo & defendendo labores pluſquam Herculeos & Atlanticos inſumpſerat, ſtatim cõiurationis & conſpirationis apud regem accuſatur, vt nunc videbimus poſt tertiæ viſionis explicationẽ, quam propter temporis anguſtias, ſuperiori concione attingere non potuimus. *Sic oſtendit mihi*, id eſt, Dominus tertio oſtẽdit mihi tale viſum. *Et ecce Dominus ſtabat ſuper murum litum*, lxx. habent adamantinum, Hebraica veritas perpendiculi, id eſt cõſtructum ad perpendiculum & ad amuſſim, ad normam ſeu regulam latomi. murum perpendicularem vel regulare m dicere poſſumus. *Et in manu eius erit trulla cœmentarij*, vel perpendiculum, quo murorũ rectitudo probari ſolet. Chaldæus paraphraſtes murum iudicij vertit. Nam perpendiculum vt trutina, regula & amuſſis, iudicij, æquitatis, atque iuſtitiæ ſeueritatis ſymbola & teſſeræ ſunt. Quemadmodum perpendiculo murus dirigitur & corrigitur ſi quid in eo obliquum erat, Sic inquit Dominus ſe perpendiculum iudicij ſui adhibiturum

populo Iſraelitico pollicetur, vt cum eo deinceps iure agat, & eũ puniat ſicut eius ſcelera commeruerunt. Non clementer vt in hodiernum vſque diem, quando iuſtè
Iſa.28. cum illo agere non videbatur, diſſimulans ad eius perditos corruptoſque mores. Ponet iudicium ad lineam, dicebat Eſaias, & iuſtitiam ad perpendiculũ, id eſt, eos iuxta merita puniet Dominus, ſatis apertè declarat quo ſpectaret ſignificatio & myſterium perpendiculi. *Ecce ego poſiturus ſum, inquit, perpendiculum in medio populi mei Iſrael.* Nam nunc non amplius eum tranſiturus ſum, non diſſimulabo ad eius ſcelera non vltra cõniuebo vt antehac feci. Gallicè, *Ie ne luy en paſſeray plus, Ie luy feray ſelon qu'il a merité.* Quemadmodum enim latomus terminos muri perpendiculo circumſcribit, ne lapides regulam tranſgrediantur, aut extra amuſſim promineant ac extuberent: Ita Dominus terminos poſuit beneficiorũ præſtitorũ Iſraeli, nec omittet vt eos nouis afficiat, propterea quod, quò maioribus beneficiis afficiuntur, eo peiores & ingratiores redduntur. Sunt etiã qui perpendiculũ, legem Dei intelligunt, quia ipſe conſtituerat ordinem in populo ſuo, qui inſtar perpendiculi eſſet, quo ſu-

blato vniuerſa Reſpublica peruerſa eſt: eo pertinere videtur illud Eſaiæ, Quomodo *Iſa.1.* facta eſt meretrix ciuitas fidelis, plena iudicii; iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Summa omnium interpretationum hæc eſſe videtur; Si hactenus vos Deus ſuſtinuit pro ſua indulgentia, ne vobis promittite eundem ſemper fore. Qui ſemel ac ſæpe etiam facilem ſeſe exorandumque præbuerat, inexorabilem ſe difficilemque oſtendere minatur: ita vt ſi tres viri Noë, Daniel, & Iob fuerint in medio eius terræ, vt ſcribitur in Ezechiele, nõ *Ezech.14.* liberabit filios neque filias, ſed ipſi ſoli liberabuntur. Sed illud poſſet quibuſdam ſcrupulum iniicere, quod Deus prophetam interrogauerit quidnã videret, quum in aliis viſionibus non interrogauerit. Veriſſimile eſt vatem attonitum fuiſſe ac ſtupefactum, neque hanc viſionem vt ſuperiores intellexiſſe. Inſignes enim illas ſtrages, quas Iſraelitæ à Phul Aſſyriorũ rege, & Teglat Phelaſer paſſuri eſſent, nõ aperta adeo & manifeſta ratione, ita vt gerendæ erant, ſed obſcuriori & magis arcana imagine intuebantur vates. Sunt enim in ſcripturis, vt in prophetia, ait Auguſtinus, *Lib.3. de doctrina Chriſt. cap.6.* quædam obſcure dicta, quod diuinitus

permiſſum eſt,ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio reuocandum, cui facile inueſtigata vileſcunt. Magnificè & ſalubriter Spiritus ſanctus ita ſcripturas ſanctas temperauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Enimuero mirari ſatis impudētem hæreticorum ſuperbiam non queo, qui ſpiritu erroris faſcinati ac deluſi obtrudunt ſcripturarum facilitatem, quas arroganter ſupra omnes Eccleſiæ proceres intelligere iactitāt. Non ſunt illo Eunucho, vt puto, ſanctiores, neq; diligentiores ſacræ ſcripturæ indagatores, qui patria & gazis regiis quibus præerat,

*Act.8.* relictis, Hieruſalem adorandi gratia profectus fuerat, & ſcripturas domi legere nō contētus, in curru etiam Iſaiæ ſcripta perauidè meditabatur, ſine tamen interprete ea non intelligere ingenue faſſus eſt. Non eſt cuiuſuis contra Eunomianos inquit Nazanzenus, atque humi gradientium de rebus diuinis diſſerere. Non abs re igitur vatem ſic attonitum Dominus Deus rogârit, quidnam videret, cui reſpondit, perpendiculum: tum ſubiungens Dominus dixit, Ecce ego ad perpendiculum demetiar populum Iſraeliticum. Quicquid iu-

ſtitiam, æquitatem & rectitudinē non obtinet, deperdetur abrogabiturque. *Nā deſolabuntur excelſa idoli* vel Iſohaq, id eſt Iſraelitarum loca edita, velut ſacella & fana quæ in montibus & collibus erigebant in honorem idolorum: *& ſanctuaria* ſeu ſacraria *Iſraelis vaſtabuntur*, iacebunt deſolata & habebuntur neglectui, loca ſcilicet & templa, quæ illi vt ſancta habebant, ac per ea ſeſe ſanctificari exiſtimabant. *Et inſurgam aduerſus domum Ieroboam* filii Ioas *gladio*, nempe antequam hæc fiant: ſiquidem eius filius Zacharias à Sellum filio Iabes interemptus eſt, ſatis longo tempore antequam Iſraelitarū fana & delubra deſtruerentur, & decem tribus in exilium abducerentur: vt Iſraelitæ iſta eſſe ſequentium malorū præludia luce clarius agnoſcerent, neque de aliis à vate prænuntiatis poſtea venturis dubitarent. Septuaginta interpretes verterunt βωμοὶ τοῦ γέλωτος aræ riſus, id eſt ad riſum, ad feſtos agendos dies conſtructæ, vel aræ ridiculæ. Loca enim illa in quibus ſchiſma & religionem impiam, hæreticam ac ſuperſtitioſam exercebant, ridicula vel riſu digna appellat. Quis non rideret omnium hæreticorum commēta, nedum loca profaniſſima, quæ D. Auguſtini temporibus ab Honorio &

Archadio Imperatoribus Chriſtianiſſimis fiſco ſunt adiudicata? Veteres Eccleſiæ patres ipſos hæreticos ſimias vocant, & ſic omnia quæ gerunt, ſunt perridicula. Quo in loco illud obſeruatione dignum eſt, impietatis loca etiam à Deo vaſtari, vt iræ ſuæ argumenta in conſpectu verſentur, & à talibus mortales abſterreant. Quis non videt Paganorum & hæreticorum delubra vel igni aſſumpta hauſtaque, aut euerſa atque ſubrupta? Quis ea inſtaurare, excitare, aut rediuiua recidiuave facere potuit? Eunuchi hîc vocari excelſa Iſaac, quod illi praua imitatione & exemplo Iſaac, quem Abraam iuſſu Dei immolare decreuiſſet, excelſa erexerint in honorē idolorum. Si Iſaci memorias erexiſſent, vt Chriſtiani martyrum, non eos taxaſſet vates. Iacob & Iſaac metonymicῶs Iſraelitas vocare videtur: quia illa patriarcharum nomina iactitabant, & inde volebant ſanctiores haberi, tum quòd ab illis originem traherent, non minus quàm Iudæi: tum quòd iſti patres in ea terra paſſim erant peregrinati, & in eadem Deum purè coluerant.
*Ioan.4.* Mulier Samaritana, ſicut apud D. Ioānem legimus, illam locorum ſanctitatem templo Hieroſolymitano opponebat, patrum

religione in ſuperſtitionem & falſam religionem tuendam abutens. Omnia ea excelſa cum aliis locis, quæ ſancta temere opinabãtur vaſtanda & ſolo æquenda pręcinit vates. Quod ſi ſacris ipſorum non pepercit Deus, quid facturus eſt profanis? Et ſi non conſtent ſacra, in quæ ipſi confidebant, quomodo ipſi in ea ſperantes conſtabunt? Neque his cõtentus erit Dominus, ſed etiam minatur ſe viſitaturum & inſurrecturũ aduerſum regiam familiam Ieroboami gladio, ita vt filius eius Zacharias ſit interficiendus (cuius occaſu tota Iehu familia fuit extincta) & alius alienæ familiæ in eius locum ſufficiendus. Quum enim Ieroboam filius Ioas res Iſraelitarũ acciſas & attritas ad ſtatum meliorẽ Dei beneficio reſtituiſſet, in illum ipſi confidebant, propterea ipſius domo exitium denuntiat. Nam Sellum interfecit Zachariam, qui paulo poſt à Manahem interemptus eſt. Thales ille Mileſius lepidè ſane reſpõdit, vt ſcribit Plutarchus in opuſculo de genio Socratis, cuidam amicorum ſciſcitanti quidnam noui in ſua peregrinatione vidiſſet: Nihil, ait, tam nouum & inſuetum quam tyrannũ diu viuere; quemadmodum de Sellum, Phaceæ & Phacęa

4. Rex. 15.

filio Romeliæ videre licet: qui ad hoc regnum Iſraeliticum omnes tyrannide peruenerant. Sed paucis audiamus qualem vates mercedem retulerit pro tot & tantis beneficiis, quæ huic ingrato populo exhibuerat. *Tunc miſit Amaſias* primarius *in Bethel ſacerdos*, flamem vel ſacrificulus *ad Ieroboam Iſraelitici populi regem* (qui forte tum abfuit à Bethel) literas vel nuntios cum his mandatis: Amos non clam aut extra regnum tuum, ſed in medio domus Iſrael aduerſum te conſpirauit atque coniurauit. Græci doctiſſimè reddunt συςροφὰς ποιεῖται: quod peræque eſt, ac ſi diceremus coitiones vel ſocietates, conuenticuláve init, in quibus contra maieſtatem regiam concionatur. Non poterit terra ferre omnia ipſius verba, vt qui nullis inuolucris aperte dixerit, regem *Ieroboam gladio perimendum*, *& populum Iſraeliticum è ſua terra in captiuitatem abducendum*. Quæ priuatis ſui ipſorum nominibus agere hactenus dubitauerant, nunc publico regis nomine apertè atque diligentiſſimè agere incipiũt, atque vatis nomen apud regem de nouarum rerum ſtudio, de læſæ maieſtatis perfidia, deque inſidiis deferũt. Sed dicet aliquis: Cur tãdiu ſacrificulorum collegium

ſuſtinuerit

ſuſtinuerit prophetam cõtra ipſorum abuſus & ſuperſtitionem alloquentem? Reſpondemus Deum ſua diuina prouidentia obſtitiſſe, quominus prophetæ nocerent. Præterea ipſi expectabant oportunitatem & occaſionem, qua id ſuo maximo commodo fieri poſſet, vt modo cum de regia maieſtate exterminãda diſſereret: Notum enim eſt quam ægrè ferant reges ſua abripi ſceptra, & quæcunque eo facere putãt, quanto ſtudio tollant, vt vel religionem, ſi eam ſibi obſtare credãt, labefactatã, immo euerſam cupiãt, vt in Ieroboamo filio Nebat accidit. hinc eſt vt Amaſias proditionis Amos prophetam apud regem accuſaret & deferret. O malitioſum & fraudulentum hominum genus, qui ſuæ potius commoditati ſtudẽt quam veritati, & publicæ vtilitati! Sanctiſſimorum virorum dicta & facta obſeruant, tempus callidè expiſcantur quo minori ſua nota, minori populi tumultu noceãt: quod vt facilius exequantur, leges, religionem, maieſtatem regiam conſeruandam prætexant. Iſta delatio apud regem non fuit abſque calumnia, cuiuſmodi & illa, ſic dixit, Poſſum deſtruere templum hoc manufactum, & in triduo reædificare illud. Non poteſt profeſſio

ſyncerę religionis & puri cultus his placere, qui falſam tueātur. Itaque veritatis impatientes ſunt ſathanæ & mendaciorum miniſtri, qui omni ratione conantur veri Dei cultus profeſſores ac defenſores labefactare & extinguere, vt de Arrianis aduerſus diuos Athanaſium, Martinum, Hilariū & alios Epiſcopos, & ſacerdotes orthodoxos videre eſt, tum apud Euſebium, Victorem, Vticenſem & cæteros hiſtoriæ ſcriptores. Verbi comes crux ſemper extitit. Si hæretico ſemel aures Principes patefecerint, quia ille ſe veritate inferior videt, ipſis adulatur, ac conatur ſeditionem religioni obtendere, vt ex verbis prophetarum & ſanctorum verbi cōcionatorum venentur, colligant, & aucupentur quicquid poteſt vel leuiter ad tumultum & ſeditionem ſpectare, quaſi purioris cultus & catholicæ religionis doctores turbas, ſeditiones, & proditionē doceāt. Non nouum eſt religioni veræ, ſynceræ & orthodoxæ ſeditionem obiici. nam Heliæ, Hieremiæ, Chriſto denique & Apoſtolis obiiciebatur, quod populum ſeducerent, & Reſpublicas ſeditionibus perturbarent ac exagitarent. Verumenimuero obſeruandæ veniunt huius ſycophantæ & calumnia-

toris artes, quibus agit apud regem: non veritate quidem ſubnixus, ſed mendaciis & calumniis. Nihil ille de religionis inſtauratione, neque de moribus officióve reſtituendo, neque quicquam de ſua mandat iniuria, vt de regis tantum contumelia dolere videatur. Ad hæc, quæ locutus fuerat Dominus prophetam Amos dixiſſe commemorat, vt magis regem ſubaccendat ad vindictam. Prophetæ ſiquidem inuertit verba, quia non dixerat, occidetur Ieroboam à populo ſuo in tumultu, ſed nomine Dei, quod doloſe & fraudulenter ſubticet, pronuntiarat ipſum Deum aduerſus Ieroboami domum non in Ieroboamum ipſum, inſurrecturum gladio, nimirum hoſtili & extero. Vt autem ſuum mendacium facilius perſuaderet, aliquid immiſcet veri, nempe quod dixerat populum in exilium fore relegandum. Dominus Deus qui & ipſe veritas eſt, ab huiuſmodi delatoribus ſycophantis & calumniatoribus nos liberet: Cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

*ET dixit Amaſias ad Amos, qui vides, gradere & fuge in terram Iuda: & comede ibi panem, & prophetabis ibi. Et in Bethel non adiicies vltra vt prophetes: quia ſanctificatio regis eſt, & domus regni eſt. Reſponditque Amos, & dixit ad Amaſiam, Non ſum propheta, & non ſum filius prophetæ: ſed armentarius ego ſum vellicans ſycomoros. Et tulit me Dominus Deus cum ſequerer gregem: & dixit Dominus ad me, Vade, propheta ad populum meum Iſrael. Et nunc audi verbum Domini, Tu dicis, Non prophetabis ſuper Iſrael, & non diſtillabis ſuper domum idoli. Propter hoc, hæc dicit Dominus, Vxor tua in ciuitate fornicabitur, & filij tui & filiæ tuæ in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur: & tu in terra poluta morieris, & Iſrael captiuos migrabit de terra ſua.*

VERI ac ſynceri, orthodoxique doctores longè grauiora ſeueriora que mala à falſis, ſimulatis fucatiſq; ſacerdotibus ac pſeudoprophetis, quam à crudeliſſimis tyrannis ex omni ſeculorum memoria perpeſſi ſunt ac pertulerũt. Exempli cauſa aliquos nominemus. Iannes & Iambres plus negotij faceſſiuerũt atque conflarunt Moſi, quã Pharaonis Ægypti regis ſæuiſſima ac crudeliſſima tyrannis. Apoſtolus de ſuo-

rum ſymuniſtarũ iniuriis, quos falſos fratres appellat, ſummopere conqueritur. Symon Magus plus nocuit diuo Petro Chriſtum annuntianti, quàm prouinciarũ omnium proconſules. Non tam atroci odio Achab Micheam proſequutus eſt, quàm Pſeudovates Sedechias, atque ſocij ipſius. Nónne Amazias cultus Bethelini vituli primarius ſacerdos vati extitit nocentior, quàm omnes alij? Nónne grauiori odio, atque inuidia maiori, quàm rex ipſe cum ſuis aulicis omnibus proſequutus eſt? Non illi ſatisfuit vatem apud regem detuliſſe, quod ipſe coniuraſſet in medio regni Iſrael, dixiſſetque non inuolucris verborũ, ſed palam & apertè, regem interficiẽdum, ſed etiam totis adhuc viribus nititur os vatis occludere, ne amplius apud Iſráelitas vaticinetur, imo vero in terram Iudæ reuertatur apud Azariam regem piiſſimum, religionis auitæ tenaciſſimum, & prophetarum obſeruandiſſimum, ibique victiter, & ſecurè doceat. Sic ergo vatem Amazias aggreditur, ſciens quod ipſe apud regem ſua accuſatione parum profeciſſet. *Videns*, id eſt, ô vir propheta, *abi & fuge*, téque recipe *in terram Iuda*, ne ſi hîc diutius hęſeris, in vitæ diſcrimẽ venias, & in te

rex capite animaduertat, qui tam apertè in eum aduerſa ominaris. *Et veſcere ibi pane.* Quaſi diceret, illic viue, illic victũ quęrita, & illic vaticinare. Si peſtis, fames, captiuitas oppreſſura ſunt Iſraelẽ, tu hæc incommoda fuge. Obſeruabimus imprimis regem pſeudominiſtro Amaziæ nullum dediſſe reſponſum, ipſius mandata contemnens atque pro friuolis & vanis habẽs, tum quia Iſraelis reges qui ex fęce plebis ſacerdotes ſibi delegerant, eos habebant contemptui, tum quia rex Hieroboam tot victoriis potitus non ſibi metuebat, tum etiã quia pro nihilo ducebat prophetæ vaticinia, vt ab homine pecuario & nihili profecta: vel ipſe ſciens quia fauore diuino iuxta etiam Ionæ teſtimonium, Iſraelis rem reſtituerat, prophetam verebatur, vt quondam Herodes Ioannem Baptiſtam, quo audito multa ipſe faciebat. non accepto igitur regis reſponſo, vel non expectato, ſacerdotalis faſtigij autoritate vſus hic perſuadere nititur. heus *tu vides*, &c. Cùm in literis quas ad regem ſcripſerat, nominis Amos, cõtemptus cauſa, duntaxat meminiſſet, hîc captat beneuolẽtiam, vocans eum Vidẽtem, vt ficto ſtudio ſe inſinuans, ei obrepat commodius eumque decipiat;

cuiuſmodi illud eſt, Magiſter ſcimus quia
verax es, & viam Dei in veritate doces, & *Math. 22.*
non eſt tibi cura de aliquo. Prophetę olim *1. Reg. 9.*
Vidētes appellati ſunt, qui lumine diuino
colluſtrati futura præuidebant ac præci-
nebant. honeſto nunc nomine Amos ap-
pellat, amicè & beneuolè illum adortus, vt
loco cedere officiumque ſuum deſerere
ſuaderet: Non enim ei apertè iniuriam fa-
cere audebat (inquit Hieronimus) timēs
ne auditores læderet. A multis enim ex
populo libenter audiebatur. vnde & regi
Amazias retulerat eum coitiones facere,
ac cœtus congregare. hæc eſt vetuſtiſſima
ſerpentis fraus & deceptio ſic blandè ſer-
uos Dei affari, vt cautius ipſe decipiat & in
fraudem illiciat. Fingit Amazias magnæ
autoritatis eſſe apud ſe prophetæ munus
& officiū, & illud velle omni ſtudio, opera
atque conſilio iuuare atque fouere; ſed per
regem ſtare, cui perſuaderi difficillimum
eſt, vt priuatæ vitæ ſtudio coronam depo-
nat, quàm omnibus artibus, omni nefaria
humani atque diuini iuris violatione pro-
pugnandam vniuerſi exiſtimāt atque con-
tendūt. Sathanæ miniſtri hodie verbi Dei
Catholicos Eccleſiaſtas & populum deci-
pere conantur dicentes, Hic eſt doctor

egregius, qui veritatem optimè nouit, ac veretur eam palam profiteri. Hic à nobis ſtat, ſed nondum auſus eſt confiteri, atque his vulpinis adulationibus cupiunt liberũ verbi Dei curſum præpedire. Vel dicere poſſumus eum honorifico titulo per ironiam appellaſſe, quaſi diceret, fatidicum aut fanaticum, vti Eccleſiæ doctores, magiſtros noſtros ironicè vocant hæretici. Vafrè etiam & calidè conſulit prophetæ vt in regnum Iudæ ſeſe reciperet, vbi viuere cõmodius & munus ſuum liberius maioreque cum fructu exequi poſſet, ſuæ inexplebili auaritiæ ſtudẽs. Sciebat prophetam breui ſuis concionibus populo miſere pellecto atque ſeducto, in animum inducere, vt ad Eccleſiam Catholicam remigraret, & auitam religionem amplecteretur. Non poſſum ſatis mirari huiuſce tempeſtatis hæreticorum impudentiam, qui ſuam hæreſim peſtilentiſſimam volunt vbique locorum Catholicorum prædicari, in locis vero vbi fortiores dominentur, religionem Catholicam funditus extinguere conantur, & ipſius doctores peius cane & angue oderunt. Cum Amazia pſeudominiſtro dicunt *in Bethel autem,* vel potius in Bethanẽ, *ne addas vltrà vaticinari.*

In Bethel ne quid amplius prophetes, quia ſacrarium regis eſt, *la ſaincte chappelle du Roy*. Primam Bethelicæ ædis religionem ſua ipſe autoritate auxit & regio nomine & voto ſanctiſſimam atque auguſtiſſimam populo eſſe voluit. Non ſolum aris, donis & ſimulachris ornauit, ſed regia arce conſtructa illuſtrauit. Quaſi diceret, locus quẽ ſibi rex conſecrauit, noui cultus & religionis exercendæ gratia (*le lieu dedié pour le preſche*) & domus regni ſiue regia eſt. Ac ſi dicat, duplici nomine tibi ſuadeo vltra in Bethel non vaticinari: primum quod ſit hîc fanum regium, deinde quod ſit regia, vbi minimè toleraberis. Solent enim reges eos qui certiſſima mala publicè denũtiarint, perinde quaſi ipſi vltro attulerint, acerrimo odio atque ſimultate infeſtare. Ex qua re factum eſt, vt Achab rex Eliam vatem inimiciſſimè inſectaretur, ſicut ſcriptũ eſt, Viuit Dominus Deus tuus, quod 3.*Reg*.18.
non eſt gens, aut regnum quò non miſerit Dominus meus te requirens. Amazias vafer homo & aſtutus callidique conſilij artifex egregius, ſibi timebat, & ſui ſimilibus, ne populus perſuaſus auitam & paternam religionem amplecti, ipſi regno expellerẽtur. Nihil magis nunc timẽt pſeu-

doepiſcopi Angli, qui ob hãc rem Catholicos ſacerdotes igne & ferro perſequuntur, vt patris Campionis & ſociorum eius martyrium noſtris temporibus ſatis oſtendit. Vel Amazias & ſocij eius metuebant, ne punirentur, vt ſub Elia & Iehu falſis miniſtris contigit, ac ſi diceremus (*ils craignoient vne ſainct Barthelemi*). Exhorreſcebant diem ſancto Bartholomęo ſacrum, Hugnoſticis nefaſtum. Verebantur, ne agnito priore cultu de ipſis actum eſſet. Hæretici vincunt in ſcelere & impietate Hieroboam & Amaziam. Nam Hieroboam falſi ſacerdotis mandata contẽpſit, nec ad ſuggeſtionẽ eius quicquam voluit reſpondere. Iſti autem cum multis Amaziis apoſtatis ſacerdotibus, fame & penuria, carceribus & exiliis prophetas & ſacerdotes Domini nefariè trucidarunt ac necauerunt. Nec à ſacris etiam locis præcipuè à monaſteriis ſacrilegas manus abſtinuerunt, Gallico prouerbio abutentes: Qui columbas omnino vult abigere, columbarium funditus euertat. Amazia prophetæ publicæ vtilitatis cupidiſſimo & vitiorum acerrimo inſectatori tantum ſuadebat, vt fuga ſe in regnum Iuda Catholicum ſeruaret, & ibi apud regem Azariam

religionis paternæ amantem ſeſe reciperet: Hugnoſticorum vero Miniſtri,qui in mediis copiis claſſicum canunt, conſtanter docẽt, ac vociferantur ad rauim vſque vniuerſos Domini ſacerdotes & Eccleſiaſtas,nulla indicta cauſa,morte plectendos. Sed hæc hactenus, redeamus ad apologiam vatis, qui intrepidè & magna conſtantia reſpondet Amaſiæ, cuius oratio doli & aſtus plena nimiam vaticinãdi cupiditatem occultè in Amoſo ſubnotat, eámque ad ambitionem potius quam ad populi corrigendi ſtudium referre videtur, eo quod loca frequentiſſima & celeberrima, vt Bethel regiam maxime ciuitatem petebat potius quã Dan vel alia loca popularia minimeque regia. Verumenimuero omnem eam calumniam probè perſpectam ſapientiſſimè diluit Amos. Tantum enim abeſt vt ſacerdotis faſtigio ac regiis minis deterritus reuocetur ac frangatur, quin potius alacrior ac conſtantior redditus, in ſuo munere perſeuerans, iam dicta confirmet,& alia inſuper addat.nam pœnas ipſi Amaſiæ irrogandas peculiariter prædicit, qui ita verbum Domini & Spiritum eius extinguere pro virili conabatur. *Reſpondit ergo Amos,dixitque Amaſiæ,*

*Non propheta ego fui*, ab initio ſcilicet, *neque prophetæ filius*, aut ſtirpe prophetica natus: quaſi dicat; nec natura, vel inſtitutione, vel ortu, nec ſucceſſione ſum propheta. Nonnulli enim iam inde à matris vtero deligebantur à Domino prophetę, vt Hieremias: Alij propheticum munus ab ineunte ætate profitebātur, vt Samuel. Erat etiam inter Iudęos prophetarum ſucceſſio. *Sed armentarius*, inquit, *ego ſum*, vel bubulcus, *ſycomororum collector*, ei rei dare operam ſoleo vt ſycomoros vellicem, atq; optimus ſum frondator, vt boues quam optimè paſcam; maxime autem hyeme, cum deficientibus herbis fronde ſaturanda ſunt armenta. Vox Hebræa ſeken ſignificat arborem generis ficuum, cuius fructu armentarij ſolebant boues alere: illeq; fructus non ſolebat matureſcere niſi ſcalpendo ferreis vnguibus. Inter armenta igitur & caulas, magis quam in ciuitatibus, inter ſycomoros quā inter homines enutritus fuerat vates noſter: quapropter omnis literaturæ nedum prophetiæ erat imperitus. Neque enim propheticum munus à pręceptore aliquo vate didiſcerat, quemadmodum cæteri qui prophetarum filij & diſcipuli dicebantur. Iſtud ergo negotium

non ad hominis facultatem aut ſtudium, ſed ad diuinum potius negotium referendum eſt. Ex quo vocationem ſuam vtique docet vates, & quod non temerè ad prophetandum proſilierit, qui vitæ ſtudio armentarius hactenus fuerit, déque innocentiſſima arte tenuem victum parare cõſueuerat. Vult ergo dicere vates ſe à Domino vocatum & coactum, impoſita ſibi prophetandi neceſſitate. Nemo hunc honorem ſibi aſſumere debet, niſi Aaronis inſtar fuerit vocatus. Hieremias accuſat pſeudoprophetas, qui non miſſi currebãt. Et Apoſtolus dicebat, Quomodo prædicabunt, niſi mittãtur? Nemo ſibi, ait Tertulianus, teſtis & profeſſor eſt. Cùm autem Amos extraordinarius eſſet, miraculo ſuã probat vocationem. Nam ex bubulco tam repẽtè fieri vatem & ex rudi & αἰνλφαβητω tam cito euadere doctum, non ſine miraculo fieri poteſt. Cùm tamen nec nouum, nec inſolens fuerit, vt Deus viros ex gregibus deligat, quibus magnas res gerendas committat. Cuius rei illuſtria exempla in Moſe atque Dauide ſtatui poſſunt. Si miraculis noſtrates hæretici, quod nunquam factum fuit, ſuam peruerſam probaſſent doctrinam, non omnino quidem excuſa-

*Heb.5.* *Hier.23.* *Rom.10.*

tione carerent illi qui ab ipſis ſeducti ſunt, ſed cum nulla ediderint miracula niſi ea quæ Apoſtolorum miraculis aduerſantur, quorum Tertulianus meminit de præſcriptionibus, nihil in iudicio Dei prætexere poterunt. Sed ad Amoſum noſtrum redeamus, quem Dominus tulit & accepit vbi pecora ſua paſcebat, & iuſſit vt abiret atque contra Iſrael vaticinaretur: ad quod quidem negotium non vltro, vt pſeudoprophetæ ſolent, ſe ingeſſit, ſed pręcipienti Domino obtemperauit. Parem ſuam vaticinādi autoritatem facere videtur magnis ac veteribus prophetis, quorum alter, videlicet Moſes ex ouibus, vel ſe excuſans ad educēdum populum de miſerrima ſeruitute aſſumptus eſt: alter nimirum Dauid electus eſt dum iret poſt fœtas oues, vt paſceret Iacob ſeruum Domini, & Iſrael hęreditatem eius. Paſtorale Eccleſiæ munus non multum diſcrepat ab eorum officio qui ouibus paſcendis & cuſtodiendis præſunt. Si enim oues ſuæ volūtati & libidini relinquerentur, citiſſimè perirent, eodem modo & populi niſi alieno conſilio rectè paſcerentur & gubernarentur, ſtatim hallucinarentur & tota via aberrarent. At vero qua fronte audebat Amaſias vati inter-

*Exod. 3.*

*Pſal. 77.*

dicere quod diſertè iniunxerat Dominus? nónne Deo magis quàm hominibus obediendum fuit? non enim prophetæ integrum fuiſſet dum ad Iſraelitas mitteretur, alio ſe conferre, vt Ionæ contigit, neque ab officio ſuo ſtrenuè & fideliter præſtando quoquomodo reuocari. Nomen autē Domini ſæpe vates inculcat, vt vaticinandi neceſſitatē ſibi impoſitā oſtendat, etiamſi profeſſione à principio non eſſet propheta, neque filius, id eſt diſcipulus prophetarū. Quemadmodū enim apud Ethnicos erāt philoſophorum gymnaſia, & apud nos publicæ ſtudiorum ſcholæ, vbi & ſacræ & prophanæ literæ docentur, ita apud Iſraelitas eo tempore erant ſtudioſorum collegia, qui in diuinis rebus à prophetis erudiebantur, quos & filios prophetarum vocabant. Vnde Elias in curru igneo ad cæ- 4. Reg. 2.
los aſcenſurus viſitat prius hæc ſtudiorum ſodalitia pietatiſque ſeminaria, quorum vnum erat in Bethel, alterum in Iericho, tertium vero vltra Iordanem, vt eos qui pietati, & literis in his ſodalitiis dabāt operam, in verbo Domini cōfirmaret. Negat ergo Amos in huiuſmodi ſcholis rei literariæ dediſſe operam, ſed extraordinariè miſſum à Deo vt Iſraelis populo vaticina-

retur. Vt autem liberrimum atque acerrimum muneris auctoritatiſque ſuæ propugnatorem præberet, ſeque non eſſe territum minis regiis neque ſacerdotali faſtigio oſtenderet, contra ipſum primarium ſacerdotẽ & ipſius domum vaticinia edit, cui tamen ſtrictè vetitum fuerat ne ſtillaret ſuper domũ idoli, vel irriſionis, quam Bethel, id eſt domum Dei fortis Amaſias honoris gratia vocauerat. Stillãdi verbum ad doctrinam & reprehenſionem non ineptè transfertur. Nam vt tegulæ guttatim ſtillantes profundunt & cauant duriſſimos lapides, ita verba reprehenſionis, Deo ſuppeditante, emolliunt corda vi & aſſiduitate, niſi planè adamantina fuerint, & ad impietatem occaluerint. Propterea ſic ait Dominus, quia ita palam & ex profeſſo Spiritui diuino aduerſaris, cõſilioque Dei per artem, dolum & calumniam obſtare reluctarique conaris, quatuor aduerſis & grauiſſimis ærumnis afficiendus es. Ignominia primum, deinde orbitate, præterea agris & fundis, quibus filiorum patrimonium confirmatum iri ſperaueras, tum demum æterna captiuitate mulctandus es. *Vxor tua in vrbe ſcortabitur*, cũ hoſte mœchabitur. Quaſi dicat, te ſpectante conſtu-
prabitur,

prabitur, idque in ciuitate: nam in agro leuius fuerat, ſed in vrbe palam, quæ legibus regitur, corã marito ſtuprari vxorem, intolerabilis marito dolor, quod & Amaſiæ euenit qui in ſcortatione ſpiritali populum fouerat illumque ad eam accenderat. O quam vani atque irriti ſunt contra diuinum conſilium humani conatus, qui quanto maiori nituntur vi, tanto grauiori caſu repente ruunt. Non dixit vates, Vxor tua vi comprimetur, vt in expugnatione vrbium fieri ſolet, ſed vxor tua in ciuitate fornicabitur: vt non coactum ſed voluntarium ſtuprum indicaret. *Et filij tui & filiæ tuæ gladio cadent*, quos vna cum cæteris filiis Iſrael in impietate tua perdidiſti atq; in eadẽ inſtituere perſeueraſti. *Terra quoq; tua ad funiculum* menſorium ſcilicet *exigetur* atque expẽdetur. Terram tuam hoſtes in varias partes diſpartient, quia inexplebili auaritia per fas & nefas bonis parandis inhiaras. Et tu in captiuitatem abductus ſuper terram immundam, pollutam & hoſtilem morieris, nempe in terra gentium, quæ impura dicebatur, quod in ea idola colerentur. Qui ſordibus gauiſus fuerat in terra Sancta, inter Gentes ſordibus ſatiabitur, & ibi peribit patria extórris, & fu-

neris pompa cariturus. Nedum ille, ſed & totus Iſrael captiuus è terra ſua abducetur, à patriis finibus relegabitur atque deportabitur, quia toties monitus non reſipuerat, imo vero à ſacerdote ſeductus in impietate & ſceleribꝰ extabuerat. Atqui hoc ipſorum eſt ſupplicium, qui verbum Dei & eius prædicatores perſequuntur, videlicet adulterium vxoris, liberorum neces, bonorum direptiones, exilium & procul à patria ſua acerbiſſima mortis perpeſſio. Quæ enim perſequutores verbi Dei mala piis inferre conantur, ea demum in caput ipſorum recidunt ac recuduntur, vt tandem corpore & animo perdantur. Deus ipſe eſt ſcelerum vindex, qui ſic ſuos aſſerit: Ipſi honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

## Homilia 23.

Cap. 8. *HAEC oſtendit mihi Dominus Deus: & ecce vncimus pomorum. Et dixit, Quid tu vides Amos? Et dixi, Vncimum pomorum. Et dixit Dominus ad me, Venit finis ſuper populũ meum Iſrael: non adiiciam vltra vt pertranſeam eum. Et ſtridebunt cardines templi in die illa, dicit Dominus Deus: multi morientur, in omni loco proiicientur: ſilentium.*

DOMINI Dei lento gradu ad vindictam gradientis cunctatione in peccatis puniendis, nemo ſibi fucum faciat. Nam tãtum abeſt vt mora & dilatione ſcelerum pœna minuatur, vt niſi reſipiſcamus ac nobis caueamus, in dies augeſcat atque ingraueſcat, diuinaque ira tãdem ſupplicij grauitate tarditatem compenſat, cum iniquitatis & ſcelerum fructus ad maturitatem vſque peruenerint, vt hoc altero non obſcuro oſtento, & hac quarta eleganti ſimilitudine vati oſtenditur, in iſta concione primum & paucis dicam de huiuſce regni Iſraelitici cõtra Dei præceptũ, malis auibus incæpti, deformatione, exitio, fine, & termino, iſtam viſionẽ, Deo optimo maximo vires & animum ſuppeditante, explanaturus. *Sic oſtendit mihi Dominus Deus, & ecce cophinus æſtatis*, id eſt fructibus æſtatis plenus; vel huiuſmodi viſum oſtẽdit mihi Dominus Deus, nempe caniſtrum quoddam, alij vertunt ſportam, corbem, æſtiuis fructibus plenam. Vetus interpres habet vncinum. Vncinus autem vaſis genus eſt fructibus continendis idoneum, anguſtiori ſuperius, latiori inferius ſpatio conſtans, quacũque ex materia id, ſiue viminea, ſiue

lignea, ſiue linea ſit. Hac imagine caniſtri anguſti oris æſtiuis fructibus pleni ſignificare vult illam contumacem & ſuperbam gentem ita ab hoſtibus coarctandã, vt ne vnus exilire poſſit. Iſta igitur quarta viſio tertiæ viſionis de perpendiculo latomi cõfirmatio eſt. nã vtraque captiuitatẽ Aſſyriacam portendit, confirmatque caſtigationes paternas non amplius locum in populo Iſraelitico vt prius habituras. Quomodo regnum coniurationibus & tyrannide cœptum, cæde & rapinis auctum diu ſtare potuiſſet. *Sic ergo oſtendit mihi Dominus, &c.* Ac ſi diceret: nihil temere ex cerebro meo excogito, vt pſeudoprophetæ vniuerſi, ſed bona fide in medium affero quæ mihi videnda monſtrauit Dominus, & ideo non paruifacienda. Quemadmodum enim prophetiæ nil addendum aut detrahendum, ſic neque ſcripturæ ſub maledictionis pœna. Non quod ſic intellectum velim, quaſi prophetiæ & ſcriptura interpretatione etiam acuratiſſima nõ indigerent. Quo quidem in negotio Hebrææ linguæ peritia maxime neceſſaria eſt. In his enim duabus dictionibus Hebræis קיץ Kaiz æſtatem & æſtiuos fructus ſignificãs qui iam plane maturuerũt,

*Deut. 4.*
*Apoc. 22.*

& quorum terminus venit vt decerpantur, & קץ Kez quod terminum & finem rei cuiuſcunque ſignificat, eſt elegans paronomaſia ſiue alluſio, quam in lingua nec Græca nec Latina ſatis aſſequi poſſemus. Illam tamen aliquo modo expreſſeris, ſi hunc locum ita interpreteris: Ecce caniſtrum maturorũ fructuum. Et dixit: Quid tu vides Amos? Et dixi: Caniſtrum fructuum maturorum. Et dixit mihi Dominus: Venit maturitas ſuper populũ meum, id eſt populi mei ſcelera maturuerunt, & idcirco finis ac exitium illorũ inſtat, quando nullus amplius emendationis locus ſupereſt. Vult ergo dicere vates ſub iſtarum duarum vocum Hebræarum alluſione, vt ſub finem æſtatis eſt terminus fructuum, & tempus vt colligantur, quum iam tota æſtate Solis calore plane ſunt percocti, nec diutius aſſeruari poſſunt: ſic venit & in propinquo eſt tẽpus à Domino finitum; tempus inquam iam præ foribus eſt, vt Deus Iſraelitarum peccata in corbes colligat, & ipſis digna factis ipſorum præmia repẽdat, quum ſcilicet iniquitatum menſuram impleuerint, vt de Sodomitis loquitur ſcriptura. Ex iis colligere licet Dominum Deum perdiu expectare homines ad *Gen.15.*

pœnitentiam, nec tam cito in Reſpublicas & Regna animaduertere, ſed præſtolari quo vſque maturuerint, & ſuarum iniquitatum ſupremum gradum attigerint. Si ergo Deum diu differre pœnas agnouerimus, non propterea ſecuri in peccatis torpeamus, ipſius patientia & longa expectatione abuſi. Nam cum primum iniquitatum ac ſcelerum attigerimus periodum, vt maturos fructus metamur, vel vt ficus malas, quæ iam quod tempus ſuum prætergreſſæ putridæ ſunt & emarcuerunt eſuique ineptæ, in corbem malorum piſcium reponamur. Similes loquendi phraſes in nouo Teſtamẽto reperiuntur, quum tempus quo ſeparandi ſunt pii & iuſti ab impiis & iniquis, meſſem vocat ſcriptura;

*Matt.13.* quæ vt monet Auguſtinus contra Donatiſtas, patienter expectanda eſt, quia ob zizaniam minimè relinquendus ager Dominicus, neque ob malos piſces rumpenda ſunt retia. Vtinam huiuſce tempeſtatis hæretici, qui reformationis nomen ſuis ipſis immanibus moribus prætẽdunt, meſſis tempus, quo angeli zizania à tritico ſeparabunt, patienti animo expectaſſent. Prudens ſiquidem & frugi agricola non decerpit poma; neque vncino fructus ex

ramis arborum ſummis trahit, qui mani-
bus carpi non poterant, niſi plane matu-
ruerint. Noſtri vero reſtitutores, ſi Deo
placet, placide expectare non potuerunt
donec maturuiſſent, & ad ſuum gradum
perueniſſent malorum ſacerdotum ſcele-
ra, quos puniendos ſibi Dominus Deus
reſeruauit. Sed ipſum Dominum audia-
mus prophetam excitantem, vt apertius
intelligat viſionis ſenſum, & vt rei nouæ
expectatione attentiores fiant auditores.
*Quid tu vides Amos?* Animalis homo non
percipit ea quæ Dei ſunt, niſi à Deo ipſo
excitetur & illuminetur, vt noſter vates
cui attento & beneuolo Deus viſionis in-
terpretationẽ aperire dignatus eſt, dicens:
*Venit finis ſuper populum meum Iſrael,* id eſt,
inſtat plena atque integra totius populi
abductio. Vt enim mortuus eſt Ieroboam
filius Ioas, cœpit Iſraelis regnum minari
ruinam. Nam filius eius Zacharias inte-
remptus eſt, & totum regnum inteſtinis
diſſidiis flagrabat, donec ſub Hoſea vlti-
mo ipſorum rege in exilium abducti ſunt.
Notatione interea dignum cenſui in ſcri-
pturis fructuum parabolam frequentem
eſſe. Huc enim faciunt quęcunque de vi-
neis, de ſemente, de ficubus, & aliis arbo-

ribus, paſſim habentur. Admonent nos iſta primum officij, vt nos à Deo plantatos eſſe cogitemus, & fructus feramus quibus delectetur. Nam vt dicebat Baptiſta, ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis arbor non ferens fructum excidetur & in ignem mittetur: Facite ergo fructus pœnitentia dignos. Docent præterea hæ ſimilitudines ex fructibus petitæ, Deum etſi iudicia ſua aliquando differat, tamen nec ſcelerum noſtrorum, nec iuſtitiæ ſuæ obliuiſci, ſed inſtar frugi agricolæ tempora & iuſtas occaſiones obſeruare. Vt ergo piorum fructus, qui inter huius ſeculi tempeſtates per ſanctam fidei conſtantiam in Chriſto matureſcunt, tandem in cœleſtis regni horrea colligit, & æternis vitæ præmiis cōpenſat: ita impios qui inter mundi delicias & impura carnis ſtudia ſuā quoq; maturitatē cōtrahunt, immo potius computreſcunt, non minus obſeruat, & hos quoque collectos æternis gehennæ ſuppliciis excruciandos tradit. Seruiant ergo iſta piorum conſolationi, ne impiorum ſucceſſibus offenſi ſortem ſuam impatientius ferant. Nos præterea ad pœnitentiæ ſtudium excitant, ne in ſceleribus conſeneſcendo exitium nobis maturemus. At quia

*Matth.3.*
*Luc.3.*

impij minis ac terrore non commouentur, ſed ridere ſolent, pergit Propheta, & quam infelix futura ſit eorum conditio, diligenter exponit. *Et ſtridebunt cardines templi in die illa.* Hebraica clariora ſunt quę ſic reddi poſſent, Et vlulabũt cantica templi. Chaldaicè habetur, Et vlulabunt pro cantico in ædibus ſuis. Tunc temporis, ait Dominus, ipſa tẽpli cantica, quæ lætitiam habere conſueuerunt, vertentur in eiulatum & nenias lugubres. Hic oblique taxare videtur illorum cantica, quibus victorias, & reliqua Dei beneficia celebrabant, ne quid eorum intermitterent, quæ Hieroſolymis in templo fieri conſueuerant, vel potius quod cantica noua adiicerent, veterum à Moſe & Prophetis relictòrum pertæſi, vt omnium hæreticorũ mos ſemper extitit. *Et eiulabuntur cantica templi* vel palatij, &c. Elegãter & poeticè tribuit rei inanimę quod eſt rei inanimatę. Quaſi dicat: in eiulatum abibunt cantiones & læta carmina, quibus in ſuis palatiis aures ſuas demulcent, atque pro lętitia ſuccedet luctus. Diuus Hieronimus, vt lxx. templum verterunt, ita vt hîc non ſolum decem tribuum exilium, ſed Iudæ notetur captiuitas & ruina; & ſic comminaretur

Dominus cantica in templo ſolita concinni cum ſummo gaudio, in luctum conuertenda. Quemadmodum ſi à nobis diceretur: Niſi Dei iram pœnitentia & fructibus ea dignis præocupaueritis, cantica quæ in Eccleſiis canere ſolebatis feſtis diebus in Dei laudem & gratiarum actionem, in luctum & threnos iis lugubriores quos Hieremias edidit, vertentur. Dominus Lyranus fana idolorum nefaria intelligit, quæ gemitibus & pluſquam muliebri eiulatu implenda prædicit vates, & cãtionibus etiam quibus ſtrepere ſolebãt *luctũ*, lamentationemque ſucceſſuram. Siue ergo fana intelligas, ſiue Palatia, ſiue Hieroſolimitanum templum; omnia eo redeunt, vt quum hominum ſcelera maturuerint, & ad meſſem vſque peruenerint, gaudij & lætitię loco luctus repentinus & triſtitia irrepent. Eo enim improbi deliciis & luxui ſeſe deuinciunt, quo propior & vicinior eſt eorum interitus, vt ex iis qui Noemi temporibus vixerunt, liquet,
*Luc.17.* atque ex aliis quos Chriſtus tales prędixit futuros ſub finem ſeculi, paulo antequam ipſe veniat iudicaturus viuos & mortuos. Vt autem luctus acerbitatem clarius & apertius oſtendat, addit: *Multi morientur,*

*& in omni loco proiicientur. Silentium*. Hebraicè paulo facilius: Multum cadaueris in omni loco proiiciet. Tace. Omnia circumcirca plena erũt cadaueribus. Vbique ſic ſęuiet hoſtis, vt nemo vſquam vel hiſcere ſit auſurus. Cladem minatur, quæ abſque omni perſonarum diſcrimine paſſim ſit graſſatura, adeo vt nec cadauera cæſorum ſepelire liceat. Defunctos nullus ſepulturæ honos comitabitur, ſed omnia loca paſſim proiectis & temere iacentibus cadaueribus neque à ſuis neque ab hoſtibus ſepeliendis funeſtabuntur. Cuius rei euentus ſilentium tandem imponet Amaſiæ pontifici maleuolentiſſimo & aſtutiſſimo, vt ei Amos hîc minari videtur. *Tace.* Vox eſt eorum qui aliquid certò euenturum denuntiant: vt quando ori digitum apponimus dicẽdo, tace, vel ſilentium: ac ſi diceremus, futurũ eſt vt aliquos & breui pœniteat. Tunc videlicet quando noctu & cum ſilentio mortuorum corpora terræ vix demandentur. Vbi enim cum ſilentio humi conduntur mortuorum cadauera, maximę cladis indicium eſt, & tyrannidis pluſquam cyclopicæ. Omnia tamen iſta miſerrimi Iudæi ſunt experti, vt in Tobiæ libro legimus, cui non licebat interdiu ſe- *Tob.4.*

pelire mortuos, ſed noctu & in ſilẽtio contra Iudæorum morem,qui cum honeſta ac celebri pompa, orationibus & elemoſinis publicis ſepeliebant mortuos ſuos.

*Tob.4.*

Vnde vir ſanctus filio præcipiebat vt poneret panem & vinum ſuper ſepulturam iuſti,vt qui videlicet ex iis alerẽtur pro mortuo iuſto orarent. Durat vſque in hodiernum diem per multas Catholicorũ Eccleſias in Gallia præcipuè, Pariſiis & in Hiſpania hæc religio & pietas ponendi panem & vinum in defunctorũ memoriis in vſum ſacerdotũ vt pro mortuis in Chriſto orẽt. huc etiam pertinere videtur quod Apoſtoli conſtituerunt de conuiuiis quæ in defunctorum exequiis fiebant, vbi conſtitutio Apoſtolica præcipit maxime preſbyteris & Diaconis ſobrie comedere. Illa etenim conſtitutio apud noſtros vſque in hodiernum diem viget ac floret, atque in conuiuiorũ fine Parochus breui cõcione parẽtes & alios qui illi adſunt exhortatur, vt defuncti animæ refrigerium adpoſtulẽt & in prima reſurrectione cõſortium. Deus optimus maximus nõ ſic in nos ob ſcelera noſtra ſęuiat, vt cũ ſilẽtio cogamur defunctorum noſtrorũ corpora ſepelire. Ipſi ſit honor & gloria in ſecula ſeculorũ. Amen.

## Homilia 24.

*AVDITE hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos, dicentes: Quando tranſibit menſis & venundabimus merces, & ſabbatum, & aperiemus frumentum. vt minuamus menſuram & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas. vt poßideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis. Et quiſquilias frumenti vendamus.*

QVONIAM impij & prophani ſolẽt aduerſus Dominum æquum & iuſtum iudicem rixari queritarique ſeſe iniuſte puniri, vates vniuerſam deſertoribus Iſraelitis tollens queritandi occaſionem, ditiorum ac potẽtiorum auaritiam tyrannidemque proponit, ne quis tantillum ſubdubitaret eorum ſcelera maturuiſſe. *Audite igitur hoc qui pauperem exeditis*, atque vt fruſtum panis deuoratis: & qui ad perdendos è terra miſeros toto adeo pectore incumbitis. O vos omnes qui auaritiæ ſtudetis, quique extra limites clientum ſalitis auari, cauſæ veſtræ audiẽdæ interſitis atq; attendatis, quando non priuato odio aut occulta calumnia, ſed æquiſſimo iure cau-

ſam mihi aduerſus voſmetipſos agendam diuino iuſſu ſuſceperim. Quaſi dicat, Nolite iſta ſurdis auribus accipere. Non tantum hæc pertinent ad plebem ſiue priuatos homines, ſed etiam ad vos opulentos, ſummoſque gubernatores, quibus iuſtitia & æquitas tractanda, curanda & vindicanda tradita fuerat. *Audite ergo, &c.* Iſta locutio emphatica eſt. Solent enim auari diuites in peccatis obdormiſcere, vti de illo
Luc.12. diuite Epicureo, qui horreis repletis & cella vinaria, intra ſe dicebat, Requieſce anima mea, &c. Neque libenter audiunt conſulentes vt bona ſua pauperibus ero-
Mat.19. gent: quēadmodum legimus de illo ado-
Mar.10. leſcente, cui conſulebat Chriſtus ſuas facultates venundare vt eas pauperibus erogaret. Hinc ipſe Chriſtus dicebat facilius eſſe camelum per foramen acus ingredi, quàm diuitem auarum in regnum cœlorum. Non abs re igitur tali exordio in diuites auaros inuehitur propheta, qui & accuſari ægreferunt, immo vix illa in ſe intorqueri vibrarique putant, quæ publicè aduerſus ſcelera dicuntur & perorantur. non quod ipſi tantum digni eſſent exilio, quandoquidem à minimo vſque maximū omnes ſummopere offenderant, ſed quia in

primoribus ſemper plus reſidet culpæ, & ab illis ſæpe egreditur iniquitas. *Audite*, inquit, *hoc qui abſorbetis pauperem & afflictũ, & exterminatis pauperes terræ*. His vero non modo attentos reddit, verumetiam quales ſint, docet, & inanes titulos eripit, quibus ſe venditare ſolent. Quaſi dicat: Vos quidem patriæ patres, benefactores publici, regni columen & præſidium dici vultis. Sed longe alios vos iudicat Deus, qui vos pauperum deuoratores, & inopum exterminatores eſſe dicit. Ah proh dolor! hodie laudi ducitur quod iſtis tunc vitio vertebatur. nam multi Rebuspublicis conſultum putant, ſi inopes publicanorum (quos ornamentum & florem Reipub. exiſtimant) vſuris & impoſturis profligẽt, quos Deus commendatiſſimos iuſſit. Nonne Dominus Chriſtus, qui cùm diues eſſet pro nobis egenus fieri voluit, vbique pauperes, quos nobiſcum ſemper habituros eſſe prædixit, ſummè commẽdauit? Quod vni ex minimis meis feceritis, ſciatis inquit, mihi feciſſe. Dicet in iudicio his qui pauperibus benefecerunt, Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum, quod vobis paratum eſt à cõſtitutione mundi. Eccleſia ipſos pauperes tempore Apoſtolo-

*Deu.13.* *2.Cor.8.* *Mat.26.* *Mat.25.*

rum habuit commendatiſſimos, quippe quæ Agapas fieri in ſubleuationem & recreationem ipſorum pauperum publice in Eccleſiis conſtituerunt. Nunc vero maxime timeo, ne iniuſte & merito nobis obiiciantur quæ noſter Amos ſuis Iſraelitis obiiciebat. Audite hoc qui pauperes deglubitis, & vt Chryphides & Harpyæ voraces abſorbetis. Quoniam ne darent

*Deu. 23.* vſuram ſuis fratribus néve pecuniam fœnore occuparent, lege cautũ fuerat, technas ſubdole excogitarunt, quibus pauperes circumuenirent, & eorum agros, viueta, & oliueta quam minimo, imo reiiculis calceis emerent. Væ aduerſus huiuſmodi

*Eſa. 5.* clamat auaros diuinus Iſaias, qui domum Domini adiungebant, & agrum agro copulabant vſque ad terminum loci, vel donec nil ſit loci pro aliis: quaſi ſoli ipſi habitent in medio terræ, ſoli optimis quibuſque fruantur, nihilque eis deſit tãquam rerum omnium Domini. Eandem imprecatur

*Hier. 22.* maledictionem Hieremias iis qui domos ſuas ædificant in iniuſtitia, & cænacula ſua non in iudicio. Quas rogo fraudes, quos dolos auari non inuenerunt, vt pauperes interciperent, ſuæque inexplebili ſatisfacerent auaritiæ? Iniquus Mammon

mon nunquã ſuos cultores ſinit eſſe quietos. Nihil non moleſtiarũ ſuis cultoribus exhibet. Cogit enim illos, modo vt emant, modo vt vendant, modo vt precium augeant, & menſuram imminuant, modo vt doloſa & iniqua pondera ſubiiciant. Auari merito cum hydropicis & febricitantibus cõparari poſſunt. Et quid ſycophantiarum & fraudum (etſi Apoſtolus vetuerit circumuenire fratres in negotio) non excogitat auri ſacra fames? Creſcit amor nummi quãtum ipſa pecunia creſcit. Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ. Nequeunt impiorũ animi ſatiari, quieſcere nequeũt: pij vero quoniam Deum habent omnis boni fontem, facile terrenis ſatiantur, quibus non vtuntur, niſi ad ſuccurrendum naturæ neceſſitati, quæ modicis eſt contenta. Nil aliud iſti auari in votis habebãt quam menſis vnus aut alter à meſſe præteriret (etiamſi vnicuique diei ſufficere debuiſſet malitia ſua) vt carius frumentum, ſiliginem, & hordeum obducerent. Tunc enim diuitibus auaris vnicum erat ſtudium, & vtcunque poſſent iure vel iniuria locupletarentur ac diteſcerent. Nulla charitate præditi erant, itaque apud illos vigebat ſumma crudelitas & immiſe-

1.Teſ.4.

ricordia. Quotuſquiſque Chriſtianorum hodie reperitur qui non ſtudeat auaritiæ, & opes ſuas augere maxima pauperum iactura? Occaſiones vnuſquiſque aucupatur, tēpora expiſcatur, Aſtrologorum pronoſticationes conſulit, vt ſi ſenſerit ea quæ ſunt victui neceſſaria fore cara, aſſeruat & conradit ex omni parte, vt plus dimidio pauperibus vendat. Poſſumus & per menſem Neomeniæ feſtū intelligere, quemadmodum Iſaias cap. 1. intellexit: vel menſem pro emboliſmali, & ſabbatum pro ſabbato terræ accipere, quod erat ſeptimo quouis anno. Sed quomodo accipiantur & menſis & ſabbatum, huc reſpicit vates, vt eorum inſatiabilem inexplebilemque carperet auaritiam. vult ergo vates dicere, hoc vnum igitur vos ſummis votis deſideratis, non quomodo in feſtis & ſabbatis piè & religioſè Domino Deo veſtro ſeruiatis, vt & lege cautum & moris fuerat, ſed vt ſtatim prætereant, aduenientque dies prophani & nundinarum, vt liceat vobis frumentum veſtrum vænum exponere, & merces veſtras quàm cariſſimè obtrudere. Quod ſi mauis per ſabbatum intelligere ſeptimum annum, quo non licebat arare, erit ſenſus: O auari vos abutimi-

ni illo tempore, quod Dominus inſtituerat, vt in eum ſpem omnem & fiduciam collocaretis, & illud tantummodo obſeruatis vt omne genus mercium carius vendatis: videlicet quando terra conquieuerit, vt ſeptimo quoque anno fiebat. Prętcrea Epha, id eſt modium ſiue menſuram imminuitis, ſiclique pretium augere ſtudetis, qui viginti obolis tantum conſtabat. Nec hactenus iniquitatum veſtrarum finis. Nam doloſis etiam ſtateris, aut bilancibus pauperibus imponitis, adulterina quoque ſubiicientes pondera. Nonne vlla legis Dominicæ recordatio vos tenet? Nõ habebis in ſaculo diuerſa pondera, maius & minus, dicit Dominus. Et Prouerb. 20. Pondus & pondus abominatio eſt Deo. Sed quis eſt, obſecro, tunc temporis inter mercatores qui in ponderibus & menſuris fraudẽ non ſtruat? Multum olim commendabatur mercatorum fides & dictorum factorumque veritas, adeo vt in prouerbium abierit, vt quum fidem ſynceram atque conſtantem minimeque ſubleſtam conſignare vellemus, eam fidem mercatoriam nuncuparemus. Sed modo vitiant trutinas, pecuniam ipſam adulterant, prætcrea & mẽſuras, vt proximi iniuria diten-

tur breui, & nobilitatem neſcio quam acquirant ad poſſidendum in argento pauperes propter duos calceos, id eſt villi pretio, dum interim & quiſquilias, vel cribraria tritici, id eſt furfur non tam vendant quam obtrudant, & pauperes vi emere cogant, maiori etiam pretio vel ſaltem æquali cum ipſo tritico. Nam ipſi annonam ſtrangulant clauſtris inexorabilibus, quæ nunquam patent, niſi cum explendæ auaritiæ ſpes eis affulget. Certo ſcio nihil ipſa mercatura & antiquius & ſanctius, ſi
*Gen.23.* ſine fraude & dolo exerceatur. Abraham emit agrum, quem foſſa duplici vallauit, & mortuum ſuum in eo religioſe cõdidit.
*Gen.41.* Ioſeph in Ægypto & ſuis fratrib⁹ & Ægyptiis ipſis frumentum, quod in horrea publica & regia vbertatis & copiæ tempore vt ſolers negotiator congregauerat, maximo regis ſui commodo vendidit. Nonne
*Prou.31.* mulieris ſtudioſę ſolertia à Salomone plurimum in Prouerbiis laudatur, quæ ſindonem ſiue linteum confecerat & vendiderat atque cingulũ negotiatori tradiderat?
*Marc.15.* Ioſeph Arimatheus, vt eſt in Euangelio,
*Mar.16.* ſindonem mercatus eſt qua corpus Dominicum obuoluit: ac piæ etiam ac religioſæ mulieres emerunt aromata, vt illud ho-

norifice condirent,& vt moris erat ſanctiſſime vngerent: licet igitur tuta cõſcientia, vẽdere & emere,ſi abſque dolo fiat & proximi fortunis nõ auari inhiam',vt iſti pauperum voratores, quos eleganti compoſitione Græci vocant δημοβόρους. Deus hanc auaritiæ peſtem procul à ſua Eccleſia abigat,æquas lances, æqua pondera reſtituat, vt æquitas & iuſtitia proximo reddatur, pauperes vi & tyrannide diuitum non opprimantur,ſed benignè & amicè excipiantur ac ſubleuentur, non auare ac cupide exinanientur ac exhauriantur, quemadmodum in Euangelio præcepit Chriſtus: Cui cum Patre & Spiritu ſancto debetur laus & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

## Homilia 25.

*IVrauit Dominus in ſuperbiam Iacob, ſi oblitus fuero vſque ad finem omnia opera eorum. Nunquid ſuper iſto non commouebitur terra, & lugebit omnis habitator eius: & aſcendet quaſi fluuius vniuerſus, & eiicietur, & defluet quaſi riuus Ægypti. Et erit in die illa, dicit Dominus, occidet Sol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis. Et conuertam feſtiuitates veſtras in luctum, & omnia cantica veſtra in planctum: & inducam ſuper omne dorſum veſtrum ſaccum, & ſuper omne caput*

*caluitium? & pœnam eam quaſi luctum vnigeniti; & nouiſsima eius quaſi diem amarum.*

TAnta eſt mortalium incredulitas, cordiſque duritia vt neque diuinis pollicitationibus neq; duris cõminationibus ipſi permoueantur ac reflectantur, propterea Dominus Deus ad maiorem dictorũ ſuorum aſſertionẽ, & ne quis de diuinis ipſius verbis tãtillum ſubdubitet, veriſſimo ſanctiſſimoque iureiurando ea quæ tum pollicetur, tum etiam minatur, confirmare ſolet, licet nudæ & ſimplices aſſertiones ſatiſfuiſſe debuiſſent. *Iurauit Dominus*, *&c.* Subaudiendum, Audite inquam quæ dicturus ſum, nempe hoc *Iurauit, &c.* Quæ enim poſt hęc verba, Audite iſtud vos, vſq; ad hæc, Iurauit, &c. interſeruntur atque velut per parentheſim intertexuntur. Iurãtem Deũ ſæpius inducit ſcriptura, vt qui ſimpliciter aſſerenti credere detrectáſſent, iuranti ſaltem crederent. Si quis enim iniurato & ſimplicibus verbis minime fidẽ adhibet, proculdubio piè ſanctéque iurãti firmiter aſſentiri debet. Cùm autem Dominum iuraſſe dicit ſcriptura, ſuorum verborum veritatem oſtendiſſe certo ſcias, vt cum per ſemetipſum Abrahamo iura-

uit, dicẽs, Quia feciſti verbum hoc, & non pepercisti filio tuo chariſſimo, benedicẽs benedicam tibi: Sunt qui à iuramento ſeſe nimis ſuperſtitioſe abſtinent, quaſi omnino eſſet vetitum, vt Anabaptiſtæ, quum & Deum iuraſſe, & ſanctos, ſolemni iureiurando vota & pacta confirmaſſe, iuriſiurandique formam in ſacris expreſſam reperiamur, quæ talis eſt: Hæc mihi faciat Deus, & addat: Teſtis eſt mihi Deus. Sunt alij qui pro re minima & futili iurãt & peierant, non veriti nomen Domini Dei auguſtiſſimũ & ſanctiſſimũ in vanũ ſumere, & ſuorũ mẽdaciorum veracẽ Deũ in teſtẽ vocare atque ferire. Ne noſmetipſos, Chriſtiani auditores, temere deuoueamus, cum ne pilum quidẽ vnum album aut nigrum facere poſſimus. Iuramento non aſſueſcat os tuum, dicit Sapiens. Vir multum iurans replebitur iniquitate, & non diſcedet à domo eius plaga. O quàm tunc temporis nobis neceſſarij eſſent Chryſoſtomi, qui adeo nefandè, blaſphemè & execrabiliter iurantes ne dicam peierantes, ab Eccleſia arcerent, & ſacris omnino interdicerent. Philo in explicatione ſecũdi præcepti prodidit homines liberaliter inſtitutos olim non ſuſtinuiſſe cuiuſque boni ſpectatique

*Geneſ.22.*
*Rom.1.*
*Philip.1.*
2.Cor.1.
*Eccl.23.*

nomen viri in loco parum honeſto proferri. Ægyptij vero capitale duxerunt nefas, regis ſui nomen abſque honoris ſignificatione proferre. Quod ſi ita ſit, quam minus religioſiores ſunt Chriſtiani ipſis tum Iudæis tum Ægyptiis, quippe qui nuſquam non Dei ſanctiſſimum nomen, & abſque vlla honoris præfatione ingeminãt, immo ad tertiũ quodque verbũ ſeſe peierationibus obſtringũt. Sed ad textus interpretationẽ mature redeamus. *Iurauit Iehoua per magnificentiã Iacob*, id eſt per ſe ipſum, qui eſt Iacobi maieſtas & magnificentia. Quũ non habeat ſe maiorem per quem iuret, per ſeipſum iurat. Paraphraſtes Chaldæus ſic habet: Iurat Deus qui magnitudinem ipſi Iacob tribuit. Vbi Iſraelitarũ tum ingratitudinem perſtringere videtur, quos cũ ex ſtercore & fęce Deus ad ſummum faſtigium eleuaſſet, poſt deos alienos cucurrerunt, prophetas auerſati ſunt, & vt fruſtum panis pauperes deuorarunt, tum etiam inanem eorum fiduciam arguere quam ſtatuebant in veteribus promiſſionibus, adoptione & fœdere quod cum Iacob pepigerat. Lxx. cum vetere interprete habent καθ' ὑπερηφανίας per arrogantiam veſtram, vel cõtra ſuperbiam, qua ſcilicet

pauperes præ vobis contemnitis. At vero quidnam iurauerit Dominus, audiamus. *Si obliuiſcar,* inquit, *vnquam omnia eorum facta*: ſed ea puniam vt commeriti ſunt. Dominus Deus libros rationum habet, in quibus vniuerſa ſceleratorum facta ſcribuntur, qui in extremo iudicio aperiẽtur, poſtquã illa diu diſſimulauerit. Piorũ vero peccata, quæ ignorantia & infirmitate cõmiſerunt, quæque pœnitentia terſa atque remiſſa fuerunt, nunquam recordabitur, vt de Dauidis adulterio, diui Petri abiuratione, & muliere peccatrice videre eſt. Hinc pœnitentes hoc modo rogare ſolemus: Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, ſed anticipẽt nos miſericordiæ tuæ. Ob id autem non ſequitur quin fructus pœnitentia dignos conuerſi facere debeamus, & quẽadmodum membra noſtra ſeruire iniuſtitiæ exhibueramus iuſtitiæ & bonis operibus deuinciamus. Ne diuites auaros qui annonam vexant ſuſque deque trahũt, referamus, quíq; cum ex animi ſententia viuunt, & pro libidine fœnerant, nec vlla diuinæ iræ incendia apparent, dicũt intra ſe inſtar illius mali diuitis Euangelici, Animula mea nunc fruere bonis quæ per fas & nefas compa- *Rom.6.* *Luc.12.*

Pſalm.13. raſti, non eſt Deus intelligens & requirẽs. Interea iurat Deus per celſitudinẽ Iacob, id eſt per ſemetipſum, vel per templum, quo glorioſum ſe in illo populo exhibebat, aut quo Iacobeus populus ſuperbit, nimiumque ſibi placet, ſe nunquam obliuione contriturum omnia illorum facta. Nullo certe tempore committam, vt tantorum ſcelerum obliuiſcar, & impunita derelinquam. Efficiam enim vt propter tanta flagitia, *terra commoueatur. Certe lugebit quiſquis eam inhabitat.* Tota enim quaſi fluuio ſubmergetur, atque ab hoſtibus numeroſiſſimis conculcabitur, per quos ſic inundabitur atque opprimetur, quemadmodũ Nilus ipſam inundat Ægyptum. Nam quemadmodum Nilus poſtquam Ægypti agros irrigauit, poſtea ſubſidit & quaſi abſorbetur, ita terra ipſa cum ſuis incolis tota quodammodo in nihilum redigetur, adeoque vos eiiciet alio, vt hoc tam ingrato & iniuſto pondere liberetur. Conuenit autem locus hic cum minis quæ in

Leu.19. & 20. lege habentur, quod nimirum terra ipſos

Deut.18. euomitura ſit, ſi Dei præcepta impiè trãſgrediantur. *An non ſuper hoc*, inquit, *contremiſcat terra*? Vel nunquid ſuper hoc ſe cõmouebit terra? Ad terræmotum cuius ini-

tio meminerat,& qui biennio,poſt prædicationem ſuam incœptam, venturus erat, reſpicere videtur Amos. Quaſi diceret, Nolite accuſare verbum Dei, quod vobis miniſterio noſtro prædicatur, ac ſi tumultuum, bellorum & ſeditionum cauſa eſſet,quæ per terræmotum quaſi per fecialem vobis ſignificabuntur, ſed potius accuſate ſuperſtitionẽ veſtram, fraudes, impoſturas, rapinas, atque omne iniquitatis genus, quo terram polluiſtis, & ita aggrauaſtis, effœtamque reddidiſtis vt ſe non amplius ferendo eſſe ſentiat, & proinde de vobis excutiendis cogitet. Non me latet Demetrianum olim Chriſtianis imputaſſe bella,quę crebrius inſurgebant, luem quoque & famem: cui ita reſpondet glorioſus martyr Cyprianus, Neque quando ea fiunt, quæ iram Dei indignantis oſtendunt,non propter nos fiunt à quibus Deus colitur, ſed delictis ac meritis veſtris irrogantur, à quibus Deus omnino nec quæritur nec timetur. Quamuis hæc omnia, quæ in nouiſſimis iſtis temporibus multiplicantur mala & præcipuè bellorum tumultus, qui modo in Belgia ſunt & prius in Anglia, Scotia, Heluetia, & Gallia, in hæreticos retorquere poſſemus, à quibus

Deus purè in Eccleſia Catholica nec quę-
ritur nec colitur, vſurarij tamen & fœne-
ratores non ſunt excuſandi, quorùm do-
los & impoſturas vates noſter in iſto ſer-
mone potiſſimũ carpit, & propterea ter-
ram commouẽdam dicit. Ad rem diuum
Hieronymum ſcripſiſſe in cap. 58. Iſaiæ,
mihi venit in mẽtem. Æs alienum quod
eiuſmodi artibus conflatur in cunctis vr-
bibus ſeditionũ præcipuam cauſam fuiſ-
ſe. Exempli gratia, Frequentes in Repu-
blica Romana motus, & populi à patribus
ſeceſſiones non aliis ex cauſis fere exortas
fuiſſe tradũt hiſtorici, quam quod obærati
diuitum & fœneratorum inſolentiam fer-
re non poſſent, & proinde vel nouas tabu-
las vel legem Agrariam poſtularent. Ad
Dauidem etiam concurriſſe omnes qui
ære alieno grauati & corde amaro fuerant
ſacra teſtatur hiſtoria. Quod ſi in ducem
ſeditioſum vindictæ amantẽ potius quàm
pacis publicæ incidiſſent, vt noſtris tem-
poribus in Collineum vel Auruſcanum
principem, Reipublicæ Iſraeliticæ multas
excitaſſent tragœdias. Vtinam paulo at-
tentius Reges ac Principes Chriſtiani iſta
conſiderarent: non immodicis, vt credo,
exactionibus ita populum grauarent, nec

monopolarum impoſturas permitterent, quibus ſubditorum omnium fortunæ ferè abſumuntur. Sed redeamus vnde digreſſi ſumus. *Et erit in die illa*, id eſt, calamitatis & miſeriæ, in die captiuitatis Aſſyriacæ, *dicit Dominus Deus, & faciam occidere Solem in meridie*. Duo præcipuè remorabantur Iſraelitas quominus timerent prophetarum comminationes, nimirum res proſperæ, quibus ſub Hieroboam potiebantur, & cultus externi fiducia, quem Deũ probari exiſtimabant lætis victoriis, quas frequenter de inimicis reportabant: quibus omnibus vates occurrit, dicẽs: Eſt quoque eodem tempore futurum, ait Dominus Deus, vt Solẽ ipſo etiam meridie occumbere facturus ſim, vtque terra clara luce, id eſt die lucido & ſereno, obtenebretur. Iſtis loquendi formulis quæ prophetis familiares ſunt, nihil aliud protendit vates quam calamitatem maximam & anguſtiam ineuitabilem demõſtrare. Ac ſi diceret: Nolite proſpera fortuna inebriari; non perpetuo futuri eſtis fœlices, ſed quẽadmodum iubar Solis ipſo meridie opacis & atris nubibus tegitur, ita vt nihil lucis & ſplendoris appareat, ſic proſpera veſtra fortuna celeriter euaneſcet, quando vobis

omnia aſtra feliciter fulgere, & omnia pro votis ſucceſſura videbuntur. Ne igitur Chriſtiani auditores præſenti fortuna efferamur, nec impiorum ſucceſſibus & triumphis offendamur, quandoquidem vt Sol in ipſo meridie, eclipſim tãdem aliquando patientur. Attamen quid de cultu externo (in quo fiduciam omnem conſtituebant) ſentiat vates, paucis aperiamus. *Et conuertam feſtiuitates veſtras in luctum, & omnia cantica veſtra in planctum.* Vertam feſta veſtra, quę vobis aſſolent eſſe læta & iucunda, in luctum & mœrorem, & omnem cantum veſtrum in lamentationem, ita vt omnes veſte feſtiua & gaudiorum poſita, ſaccis ſuos lumbos circumdaturi ſint, etiam ſua capita expilaturi ac calua reddituri. Ego efficiam vt ex feſtis veſtris diebus lugendi vobis occaſio obtingat, quæ lætitiæ publicæ cauſa eſſe debebant.

*Tob. 2.* Id Tobias in captiuitate Babilonica cum tribulibus expertus eſt, cui in die Pẽtecoſtes nuntiatum eſt Iudæum occiſum fuiſſe. Sollicitantibus etiam vt canerent,

*Pſal. 74 & 137.* reſponderunt pauperrimi exules, Quomodo cantabimus canticum Domini in terra

*Thren. 2.* aliena? Hieremias in ſuis Lamentationibus huiuſce rei conqueritur. Huc etiam pertinere videtur, quod Romani Hieroſolymam poſt mortem Chriſti, Paſchæ

temporibus obſederũt, & in Tabernaculorum feſto vi ceperunt. Caueamus nobiſmetipſis ne ſimile aut deterius contingat, qui diebus feſtiuis & ſolemnibus, in quibus coram Domino piè lætari permiſſum fuerat, in omni licentia abutimur, Gentium bacchanalia poſtliminio reuocantes, vt diui Hieronymus & Auguſtinus non ſemel conqueſti ſunt. Huiuſmodi etiã ſupplicia ab aliis Prophetis ſimiliter prænuntiata fuerunt. Vt Oſeæ cap. 2. Ceſſare faciam omne gaudium eius, ſolemnitatem Neomeniam, & ſabbatum eius, & omnia feſta tempora eius. Pro criſpanti calamiſtratoque crine, dicebat Iſaias, erit *Iſa. 3*
caluitium, & pro faſcia pectorali erit cilicium: quibus conſentit Ezechiel, Accin- *Ezech. 3.*
get ſe ciliciis, & operiet eos formido, & in omni facie confuſio, & in vniuerſis capitibus eorum caluitium. Vt autem magis ac magis triſtitiam vates exprimeret, Iſraelitarum terram ſic afficiendam aſſerit, vt parentes affici ſolent in ſuorum primogenitorum obitu. Nec breuis futura eſt illa calamitas, cuius ſupremus dies omnium futurus eſt amariſſimus. Horum igitur Iſraelitarũ exemplo nobis opportunè proſpiciamus & cõſulamus atque per penitentiã cũ Chriſto in gratiam redeamus, cui laus, honor, & gloria in ſecula ſeculorũ, Amen.

*ET ecce, dies veniunt, dicit Dominus: & emittam famem in terram: non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini. Et cõmouebuntur à mari vſque ad mare, & ab Aquilone vſque ad Orientem: circuibũt quærentes verbum Domini, & non inuenient. In illa die deficient virgines pulchræ, & adoleſcentes in ſiti. Qui iurant in delicto Samariæ, & dicunt, Viuit Deus tuus Dan, & viuit via Berſabeæ, & cadent, & non reſurgent vltra.*

SI fames audiendi verbi Dei, quo ſolo ſtant ac vigent credentium animę, cum fame cibo corporeo depellenda, qua nihil miſerius eſſe videtur, quæque obſeſſos in ſuam ſęuire naturam humaniſque veſci carnibus compulit, conferatur, longe omniũ grauiſſima pernicioſiſſimaque apparebit. Vates igitur noſter qui in ſuperioribus externa duntaxat mala & pœnam temporalem denuntiarat, iam nunc pœnam ſpiritalem magis expaueſcendam, nimirũ diuini verbi pœnuriam defectumq;, id eſt mentis tenebras minaciter prædicit. *Ecce dies vẽturi ſunt*, inquit, *Dominus Deus*,

*quum*

*quum immittam vel emittam famē in terram, non quidem famem panis aut cibi* mediam, nec ſitim aqua reſtinguendam, *ſed famem & ſitim audiendi verbi Dei.* Quanto anima precioſior & præſtantior eſt corpore, tanto ipſius cibus præſtat corporis alimentis. Nam corporis alimēta corruptibilia ſunt, fluxa & caduca, animæ vero ſunt ſalutaria, diuina & æterna, propterea dicebat Chriſtus, Operamini non cibum qui pe- *Ioan.6.*
rit, ſed qui permanet in vitam æternam. Nulla igitur pœna mortalibus damnoſior obtingere poſſet quam verbo Dei veriſſimo animorū pabulo orbari. Etenim verbum Domini, ſine quo acutiſſima etiam hebeſcunt ac cæcutiunt ingenia, cum ſit *Pſal.118.*
lucerna pedibus, & lumen ſemitis noſtris, in fame cibus eſt, in ſiti potus, in paupertate diuitiæ, in morbo bona valetudo, in ignominia gloria, in luctu & triſtitia gaudium & lætitia, in imbecillitate bona ſpes, in aduerſis conſolatio, & vt paucis abſoluam, in morte vita. Nulla igitur fames dirior ea quæ eſt verbi Dei. Nam cum homines ipſius penuria laborant, panis non nutrit, vinum non exhilarat cor hominis, non iuuant diuitiæ, ſanitas non prodeſt, gloria vana eſt, gaudium euaneſcit, ſpes

extabeſcit, mors inſtat & vrget. Demon-
Hine. ſtrandi ergo particula הנה, En, Ecce,
vtitur tanquam de re noua, ſtupēda atque
horrenda inter Iſraelitas eſſet dicturus,
apud quos vberrimus antehac propheta-
rum fuerat prouentus, & copiæ cornu (vt
ſic dixerim) verbi Domini, quibus omni-
bus ſpoliari orbarique debebant. Iuſto ſa-
ne Dei iudicio, vt qui verbum Domini &
prophetas contempſerant, & in hoc vires
omnes animi & corporis profunderent, vt
à ſe repellerent & abdicarēt, iam eius ino-
pia laborent & penuria ſumma. Æquiſſi-
mum eſt vt qui veritatem auerſantur, men-
dacio credant, & qui Chriſtum reiiciunt,
Antichriſtum recipiant. Tempore meſſis
frumentū colligendū eſt, ne nobis quod
& ſtultis virginibus dicatur poſt clauſam
Matth. 25. ianuam, Neſcio vos. Dum lucem habe-
mus, credamus in lucem, ne vobis vt & Iu-
Ioan. 12. dæis dicatur, Quæretis & non inuenietis.
Quæramus illum dum inueniri poteſt, ne
cibo cœleſti & diuino tandem priuemur.
Scimus enim hominem geminis cohęrere
partibus, anima ſcilicet & corpore, & vtrā-
que cibo indigere quo ſubſtentetur. Cor-
pus quia ex terra originem ducit, cibo ter-
reno alitur atque fouetur. Anima vero ſpi-

ritus eſt, quam ipſe Deus noſtris corporibus inſerit ac profundit, & proinde non alio cibo quam cœleſti & diuino conſeruari ac ſaturari poteſt. Huiuſce rei argumentum ſatis euidens eſt, quod ſatiari nequit hominum cupiditas, ſi vel honores, vel opes, vel carnis voluptates ſectetur. De omnibus iſtis verè dicitur, quod de auaritia & inſatiabili opum deſiderio dixit poeta: Quo plus ſunt potæ plus ſitiuntur aquę. Hinc Samaritanę dicebat Dominus: Qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum. Poſſet tamen quis ſciſcitari vbi Iudæi patiantur hanc famem & ſitim audiendi verbũ Dei, quum ferè vbique Gentium ſynagogas habeant, in quibus libri Moſis & Prophetarum per omne ſabbatum leguntur. Reſpondemus literam quidem occidentem illos habere, ſpiritali vero ſenſu, qui in Eccleſia duntaxat reperitur, omnino deſtitutos & priuatos eſſe. Niſi ſenſum ipſis Apoſtolis Domin⁹ aperuiſſet, ſcripturas haud quaquam intellexiſſent. Iactent hæretici quãtum voluerint ſcripturarum peritiam cum Iudæis; ſyncerũ certè & verum ſcripturæ ſenſum minimè habent, ſed omnes ſcripturas ſine ſenſu effutiunt, deblatterant, obganniúntque ac cortici foliíſque

*Ioan. 4.*

*Luc. 24.*

affixi inhęreſcunt. Et licet ipſi ſæpe nobis exprobrent bonarum & politiorum literarum ignorantiam ante aliquot annos in Eccleſia graſſatam fuiſſe, paſtorum incuria & negligentia, quorum aliqui deliciis toti diffluebant, atque liqueſcebant, alij inexplebilis auaritiæ œſtro perciti erant: dicimus interea Eccleſiam non omnino deſtitutam fuiſſe paſtoribus & doctoribus, qui nobis Chriſtianæ religionis rudimēta traderent, & ſcripturas orthodoxè & Catholicè interpretarentur, vt ipſorum conciones vſque in hodiernum diem teſtantur. Non igitur vt Iudæi famem & ſitim audiendi verbi Dei hactenus in Gallia, in qua ſemper, teſte Hieronymo, politiſſimorum virorum lumina fulſerūt atque ſplenduerunt, paſſi ſumus. Quibus in ſcholis cedo, veſtri prędicantes, de doctioribus & prioribus loquor, literas politiores didiſcerunt niſi in Catholicis? Vbinam terrarum modo magis vident bonæ literæ & politiores, quam in orthodoxis & Catholicis academiis? At ex diuerticulo ad inſtitutum redeamus, & quanta ſpiritalis pœna illa ſit futura ex ſequenti verſu videamus. *Et oberrabunt à mari*, id eſt in captiuitatem abducti, vrgente hac fame, recipient ſeſe

nõnulli à Meridionali mari, vſque ad mare magnum, quod Occidentale eſt, *& ab Aquilone vſque ad Orientem.* Per quatuor nimirum terrę angulos ſurſum deorſumq; pallantes curſitabunt, indagantes verbum Domini, quod licet veſtigiis perſequẽtur, nod tamen aſſequentur. Summa omnium eſt, quod verbum ſuum illis ſubducere velit, vt nec in rebus agendis conſilium nec in aduerſis & tentationibus conſolationem inueniant. Proh Deum quam grauis vindicta eſt! ſi qua natio verbi Dei doctrina & conſolatione deſtituatur, vt Iudæa gẽs, quæ canis inſtar famem patitur. Cum deeſt prophetia, ait Salomon, diſſipatur *Prou.29.*
populus. Hoc videre licet in iſtis populis, qui ab Eccleſia Catholica, his nouiſſimis temporibus deſciuerunt & aberrauerunt, inter quos maior apparet confuſio atque permixtio, ea quæ fuit in ædificatione turris Babel. Alij Lutheri doctrinam profitẽtur, Ciuichlij alij, pars vna Caluinum ſequitur, altera Seruetum. Sunt etiam Anabaptiſtæ, Dauidiani, & libertini, quippe qui ſcripturarũ deſiderio quotquot ſunt, flagrare & anxiè illa quęrere videntur, atq; ſuas vanas quęſtiones & inanes opiniones ex ſcripturis, ſi Deo placet, conſtituere ac

conſarcinare clamitant, cum ſcripturam deprauent, & in ſenſum trahant alienum, vt ſuam opinionem ſemel conceptam ſtabiliant. Sed omnes famem diuini verbi patiuntur, nec vnquam ſaturabuntur niſi ad Eccleſiam Catholicam redierint. Moſcouitas imitentur, qui in ſchiſmate nutriti famem explere non inueniẽtes, ad Chriſtianorum communem matrem Eccleſiam Romanã ſeſe piè & religioſè cõiungi conglutinarique, vt accepi à multis, petierunt. Sed ad Iſraelitas reuertamur, quos non ſolum Deus cæcitate mentis afflixit, verumetiam corporalibus ſuppliciis ita excruciauit, vt virgines eorũ pulcherrimæ ſiti enectæ fuerint, & adoleſcentes, quorum floridiſſima alioqui ætas, emarcuerint ac fame interierint. Victus inopia verbi Dei contemptum comitari ſolet, vt eſt apud Solomonem, Egeſtas & ignominia eum comitantur qui reſpuit diſciplinam. Quod ſi virgines & adoleſcentes quæ ſunt ciuitatum ſeminaria deficiant, quæ ſpes poſteritatis erit? Cum ergo virgines & iuuenes defeciſſe dicuntur, tota Iſraelis poſteritas à Domino abiecta & contempta ſignificatur. Hæc ſententia perpulchrè adiuncta eſt, & parabolicos vt mihi videtur, quo

*Prouerb 13.*

magnitudinem famis illius inde coniectemus, qua nunc Iudæi laborant, quos maxima cæcitate conſtat percuſſos fuiſſe, vbi plenitudo gentium venit & ingreſſa eſt. Vnum illud extimeſco ne tali cæcitate percutiãtur hæretici qui ad diuerſas ſectas curſitant famis exſaturandæ ergo, interea fame miſera tabeſcunt, & maxime pubes quæ in hæreſi primum inſtituitur. Vnde vero tanta Iſraelitis malorum Ilias & ſentina contingat, his verbis Amos oſtendit. *Iurauit*, inquit, *per peccatum Samariæ*, atque prorſus pendent ex vitulis, omnia precantes fœlicia Deo Dan, & viæ qua Berſabah itur. Propterea ipſi perimentur, atque cadent non amplius ſurrecturi. Eos idolatras ex profeſſo fuiſſe, à iuriſiurãdi formulis liquido probat, idcirco perpetuo exilio dignos. Deus enim expreſſé mandauerat in ſolo ipſius nomine iurare, ipſi vero per deos ſuos fictitios iurabant: violatæ igitur fidei & religionis non temerè à vate noſtro inſimulantur. Porro quia iurando Deum teſtantur, qui & animos hominum cognitos habet, & eos punire poteſt, qui nomine ipſius ad fallendum abutuntur, iuſiurandum ad fidei confeſſionem referri debet. Vnde Iſaias de Ægyptiorum voca- *Iſa.19.*

*Deu.6 & 10.* *Iſa.45.* *Pſal.69.*

tione ad fidem vaticinans, inter alia dicit: In die illa erunt quinque ciuitates in terra Ægypti, quæ loquantur lingua Chanaam, & iurabunt per Dominum exercituum. Quid autem de Pſeudochriſtianis dicam, qui aſſidue Ioues & Saturnos, Mineruas, Apollinem ac reliquam dæmonum crepant ac intonant familiã, cum Dominus externos Deos vetuerit noſtris adhiberi iuramentis, regiuſque Propheta nullam eorum in quotidiano colloquio mentionem facturum ſe, imo nec recordaturum vnquam dixerit? Itaque gemino ſcelere ſe contaminant atque inquinant, cum propter honorem Dei in idola detortum, tum quia temerè fruſtraque iurant. interim eorum ſententiam non probo, qui piaculum exiſtimant, ſi creatura in iuſiurandum deducatur (modo in ea nũquam non ſpectetur ipſius creator) cum vel Euangelia vſu Chriſtiano, vel diuos inter iurandum vſurpemus. Nonne Apoſtolus, 1. Cor. 15. non ſolum obteſtatus eſt, ſed etiam iurauit per Corinthiorum gloriam? Gręcè habetur, *νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν*, id eſt per gloriam veſtram. Quamquidem iurandi formulam rectiſſime intellexit Auguſtinus: quæ & manifeſtior apparet ex lectione noui

Teſtamenti Siriaci, paulo aliter ordinata quàm noſtra Latina & Græca. Sic Syri ordinant: Iuro ego per gloriam veſtram, fratres, quę eſt mihi in Domino Ieſu Chriſto quotidie morior. Eſt etiam locus inſignis apud Philonem præceptum Decalogi ſecundum explicantem. Poſtquam enim prolixè dehortatus eſt ab vſurpatione nominis diuini: Satius eſt, inquit, rerũ creatarum nomina, ſi res patiatur, producere, non tamen abſque numinis reuerentia. Vt autem iſtud probet inducit Iacobum Patriarcham percutiẽtem fœdus cum Labano, ac deierantem per timorem patris ſui. *Gen.31.*
Multum igitur eſt diſcriminis inter iuſiurandum per Achemath ſomron, id eſt delictum Samariæ, & quod vſu Eccleſiaſtico fit, vel per Euangelia vel per ſacroſancta ſacramenta, vel per ſanctorũ gloriam, quandoquidem ad Dominum Deum referatur, qui ſanctorum gloria eſt. Ipſi debetur laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

## Homilia 27.

*VIdi Dominum ſtantem ſuper altare: & dixit, Percute cardinem, & commoueãtur ſuper liminaria: auaritia enim in capite omnium, & nouiſſimum eorum in gladio interficiam: non erit fuga eis: fugient, & non ſaluabitur ex eis qui fugerit. Si deſcenderint vſque ad infernum, inde manus mea educet eos: & ſi aſcenderint vſque ad cælum, inde detraham eos. Et ſi abſconditi fuerint in vertice Carmeli, inde ſcrutans auferam eos: & ſi celauerint ſe ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo ſerpenti, & mordebit eos. Et ſi abierint in captiuitatẽ coram inimicis ſuis, ibi mandabo gladio, & occidet eos: & ponam oculos meos ſuper eos in malum & non in bonum. Et Dominus Deus exercituum qui tangit terram, & tabeſcet: & lugebunt omnes habitantes in ea: & aſcendet ſicut riuus omnis & defluet ſicut fluuius Ægypti. Qui ædificat in cælo aſcenſionem ſuam, & faſciculum ſuum ſuper terram fundauit. Qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ. Dominus nomen eius.*

LIcet Amos noſter in mandatis præcipuè haberet, vt legatione apud decem tribus fungeretur, quemadmodum ingenuè coram Amaſia ſacerdote & pontifice flaminéque Bethel faſſus fuerat: ipſorum tamen cauſa perorata atque ſententia pronuntiata in Iudam

hoc capite nono & concione vltima ſtilum ſuum ſtrinxit, tum ne videretur ſuis, ex quibus oriundus fuerat, adulari, vel eos blandiori oratione delinire qui ob viciniam ab Iſraelitis plurimã corruptionem conflarant atque cõtraxerant, tum ne ipſis Iſraelitis ex priuato affectu infenſus eorũ ſcelera ſolum corripuiſſe, & iiſdem pœnas à Domino grauiſſimas minatum fuiſſe appareret. Quoniam vero Deus vaticinia *Num.14.* ſancire viſionibus ſolitus erat, ad maiorem rei expreſſionem voluit ſententiam modo in Iudæos proferendam viſione quaſi quodam ſigillo obſignare. In qua quidem primum Iudeæ euerſionem, & templum deſtruendum prædicit ac prænũtiat: deinde nuſquam tutos fore eos quos Deus percutere percelleréque vult. Tandem in concluſione libri complura ſubiũgit de inſtaurando Iſraele, & de ſanctę Eccleſię myſteriis vt & cæteri prophetæ. Hoc igitur modo concionem exorditur. *Vidi Dominum ſuper altare.* Q. d. Vidi multa cum gloria ſupra templi aram conſiſtentem, qui Angelo cuidam iuſſit ſuperum hoſtij limen vel fornicem quo limen ſuperius regebatur, ita concutere, vt poſtes ipſi ſimul & contremiſcerent. Angeli ſunt omnes *Heb.1.*

*Pſal.33.* adminiſtratori ſpiritus vtique parati Domini Dei iuſſa exequi, nimirum qui è templo aufugerunt antequam Romani illud deuaſtaſſent. Angelos Deus circa timentes ſe caſtrametatur, qui & in templis & in fidelium cœtibus ſæpius frequentant, *1.Cor.11.* ita vt Apoſtolus iubeat mulieres capitibus velatas eſſe in Eccleſiis, propter Angelos videlicet illic præcipue aſtantes quum ſacra Dominici corporis myſteria pertra- *Nillus ad Anaſt. Epiſc. de bapt. Chriſti.* ctantur & peraguntur. Hinc Chryſoſtomus teſte Nillo eius diſcipulo, ſæpe vidit, vt perſpicax erat, omni ferme tempore in Eccleſia Angelos, ſed maximè tempore Miſſæ ſacrificij. Quod & cum amicis diuino lumine afflatis ſeorſim communicabat plenus admiratione & lætitia. Zachariæ diui Ioannis Baptiſtæ patri dum ſacra (quę ſacrificij incruenti vt & cruenti figuræ & exemplaria extiterunt) faceret, Angelus apparuit, mirandam filij natiuitatem annuntians. Ex iis omnibus colligere licet hanc viſionem factam fuiſſe in vero Domini templo, non autem in apoſtatarum baſilicis, ne obliquè eorum ſuperſtitionem probare videretur. Sed nec miracula fiunt *Iuſtinus.* in hæreticorum fanis & conuenticulis, ne Deus hæreſibus fauere crederetur. Quis

illorum vſquam equum claudum ſanauit? De viuis, inquit Tertulianus, mortuos faciunt, vbi Apoſtoli & martyres mortuos ſuſcitabant. ſed ad rem veniamus. Vt igitur Dominus ſuper altare ſtabat, Angelo iuſſit ſuperliminare percutiendum quatenus templi poſtes quaterentur. licet templum ſenſus & rationis penitus expers, nulli eſſet ſceleri obnoxium, illudque Dei mandato cõſtructum eſſet ac pietati conſecratum cum ampliſſimis etiam promiſſionibus, iuſſit tamen ab Angelo percuti, vt hac viſione clare & manifeſte oſtenderet ab hoſtibus Aſſyriis deſtruendum, & vt qui templo & pietate, quæ in illo exercebatur, ad ſuam inexplebilem auaritiam abuſi fuerint, diſcerẽt quæ & quanta illos manerẽt ſupplicia. Nam vna cum templo deſtruendos noſter vaticinatur Amos. Quod ſi templo illi ſacroſancto non pepercit, proculdubio nec profanis. Ex templorum monaſteriorum & aliorum locorum Deo ſacrorũ ruinis, quas ab Hugnoſtica rabie paſſa ſunt, hac infelici noſtra tempeſtate, diſcendum foret non amplius rebus ſacris ad marſupia explenda, vt temporibus elapſis, abuti. Quid enim Deo execrabilius, quàm rebus ſacris iniquita-

tes proprias tegere, & ſub pietatis & religionis prætextu peruerſe & impie agere. Ex iis etiam intelligere poſſumus Aſſyrios ſuis viribus, etſi maximis, non potuiſſe tẽplum iſtud inter cætera omnia celebre deſtruere, niſi Domino permittente atque iubente. Mirum alicui videri poſſet Dominũ Deum locorũ ſanctitate haud quaquam moueri, & Iudęos catholicos, demptis viris ſigno *T.* in fronte ſignatis, cum ipſorum templo in quo prius coli & inuocari voluerat, deſtructurum minari. Sed hoc neque nouum neq; inſolens eſt, à Dei domo fere incipere iudicium, quo mundi ſcelera punire inſtituit. Exigit hoc diuina iuſtitia, ne in ſuis probare exiſtimetur quæ punit & animaduertit in aliis. Sunt etiam pij caſtigandi ne cum mundo pœnitere neſcio condẽnentur ac pereant. Præterea eiuſmodi exemplis mundum Deus excitat. Nam ſi in viridi hoc fit quid fiet in arido? Si item ſuperliminare percutitur, quid de pauimento? Si iuſtus vix ſaluabitur, impius vbi comparebit? Si ergo Dominus Deus principibus & ſacerdotibus qui ſunt totius populi capita non parcet, quomodo inferioris ſortis & de fęce vulgi homines euadere poſſent? Præcepit Deus Angelo,

*Ezech. 9.*

*Luc. 23.*

*Vulnera eos in capite omnes, & nouiſsimum eorum in gladio occidam.* Et, vt eſt in Ezechiele: Non parcat oculus veſter, neque miſereamini ſenem, adoleſcẽtulum & virginem, paruulum & mulieres interficite vſque ad internecionem. ac ſi diceret: Eos qui populi capita ſunt, ſimul omnes in fruſta conſcindam atque diſcerpam, & omne vulgus occidam gladio. *Non effugiet ex ipſis fugiens*, & non euadet euadens, hoc eſt, etiã ſi ibi patere effugium exiſtiment ſua opinio fallet eos, quia tandem deprehendam illos. Non erit inter eos vel vnuſquiſpiam qui effugiat & euadere poſſit, imo qui iam euaſiſſe videtur, cum ſpe ſua exciderit ſubito præda fiet. Multis Iudaicæ gentis excidium vates inculcat eo quod ſibi cum hominibus præfractis & induratis rem eſſe ſciret. Quod ſi, inquit, in ſepulchris atq; apud inferos ſeſe defoderint, inde tamen manus mea tollet eos. Et ſi ſummum conſcendant cælũ, & in arcibus ad nubes vſq; extructis latitauerint, illinc eos deturbauero. Et ſi in Carmeli vertice ſupremo, vbi multa ſunt ſaxa & latibula, ſeſe occultent, inuentos illinc auferam atque prodam. Imo ſi ſeſe in ipſo maris fundo immerſerint & ab oculis meis ſe abdiderint, illic

*Ezech.9.*

etiam ſerpenti mandabo vt eos mordeat atque corrodat. Nec in mari quidem illi deſunt arma, quibus impios perſequatur ac confodiat. Habet grãdia cæte, habet & alios marinos ſerpentes, quales in mari Septentrionali reperiuntur, ac piſces venenatos, qualis paſtinaca, quæ arbores enecat ſi earum radicibus radium ſupra caudam eminentem infixerit, quæque teli inſtar perforat arma. Addit his inſuper Dei nomine vates: Si vero hoſtibus ſuis ſe captiuos præbeant, & bellum vel turpi deditione vel ſpontaneo exilio præuenire præuertereque velint, & in terram hoſtilem abducantur captiui, tamen nec ſic proficient (vt nihil profecerunt qui ſe fuga in
Hier.43. Ægyptum contra Hieremiæ cõſilium ſeruare tentauerũt) quia illic præcipiam gladio qui eos interimat. *Ponam oculos meos ſuper eos in malum & non in bonum*, id eſt non potero illos æquis oculis aſpicere, & iniquior eis non eſſe. Antitheſi vtitur, & opponit hæc priſtino fauori quo illos antea proſequutus fuerat. Quaſi diceret: Sicuti olim mihi curæ amoriq; fuiſtis, voſq; ſummo ſtudio alui atque ornaui (quia non
Pſal.120. dormitauit neque dormiuit qui cuſtodiuit Iſrael) ita poſthac totus in hoc ero, vt dignas

dignas ſcelerum pœnas à vobis repoſcam. Omnibus his locutionibus, Ego vadam, ego ſcrutabor, ego detraham, ego præcipiam ſerpẽti & gladio, cognoſcamus omnipotentis Dei vindicem manum, quoties aliquid aduerſi nobis accidit. Fruſtra enim effugia & latebras quærimus, cum Deum habemus iratũ. Ratio quidem humana, conſilia, vires & huiuſmodi auxilia, nonnunquam efficiunt vt euadamus periculum, ſed vt iudicium Dei euadamus, nulla creatura efficere poteſt. Multi pericula mirabiliter euaſerunt, vt Iſraelitæ in exitu Ægypti, qui in deſertis tamen Dei *Exod.14.* iudicium non effugerunt. Saul Dauidis monomachia belli diſcrimẽ periculumq; *1.Reg.17.* quod cum Paleſtinis ſuſceperat, euaſit, qui tandem Dei iudiciũ expertus eſt. O quàm valde falluntur, qui famis & penuriæ periculum malis artibus, vt vſuris & rapinis, luem & peſtem ignobili fuga, bellum iniquis conditionibus vel proditione declinare amolirique & auertere conantur. Si *Pſal.138.* aſcendero in cælum, dicebat Dauid, tu illic es, ſi deſcendero ad infernum, ades. Si Ionas in ventre cæti potuit euadere manum Domini, tu ſane & poteris. Sed quonam pacto effugies? Sola pœnitẽtia & vera

conuerſione ad Deum, ad quem Niniuitę ipſius Ionæ concionibus conuerſi, miſericordiam conſequuti ſunt. Vt autem magis ac magis huic præfracto populo timorem Vates incuteret, & nec inania terriculamēta eſſe quis exiſtimaret, per exaggerationem addit: *Et Dominus Iehoua exercituum percutiet terram & contremiſcet: & lugebunt omnes habitantes in ea, & aſcendet ſicut fluuius tota, & ſubmergetur ſicut à fluuio Aegypti.* Vel vt paraphraſticos dicere poſſumus: Dominus autem Deus exercituum tanta virtute eſt & potētia, vt ad eius contactum terra diffluat ac dilabatur: ita vt quotquot eam inhabitant, lugeant & ingemiſcant. Tota itaque veluti fluuio quodā, calamitatibus ſubmergetur, neque id leuiter & ſumma tātum ſuperficie, verum profundè adeo, vt vel cum Nilo Ægypti rapidiſſimo flumine, de profunditate certare poterit. Non ergo impoſſibile videri debet quod minatur: *Ille eſt qui ædificat in cælo aſcenſiones ſuas*, id eſt climata vel ſphęras nouem cæleſtes & ſeptem planetarum ſtellas, quæ aliæ aliis ſublimiores, & ceu gradibus quibuſdam à ſeinuicem diſtant. *Præterea faſciculum ſuper terram fundat*. Faſciculū vocat (idque per extenuationem,

vt Dei potētiam amplificet) quatuor iſta elemēta quæ ſub cælo ſunt, ignem, aërem, aquam, terram, & quicquid ſublunari globo continetur. Quis quæſo hunc ſubterfugiat & lateat? *Iehoua eſt nomen eius*. Ille eſt qui cælos palmo metitur, & vt cortinam extendit, aquas maris vola manus ſuę menſurat, quas male ſalſas ſurſum ducit, rurſúmque dulces in terram refundit. Puluerem terræ tribus digitis complectitur, montes & colles in bilance appēdit. Iſthæc quotidie oculis noſtris perſpicimus vt Deum omnipotentem agnoſcamus, qui facilime quod minatur exequi poteſt. His igitur non inanibus minis & terroribus per pœnitentiam ſeriam eamus obuiam, & fructus pœnitētiæ dignos per Chriſtum Dominum noſtrum faciamus: Cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorū. Amen.

## Homilia. 28.

*NVnquid non vt filij Æthiopum vos eſtis mihi filij Iſrael, dicit Dominus? Nunquid non Iſrael aſcendere feci de terra Ægypti: & Palæſtinos de Cappadocia, Syros de Cyrene? Ecce oculi Domini Dei ſuper regnum peccans, & conteram illud à facie terræ: verumtamen conterens non con-*

*teram domum Iacob, dicit Dominus. Ecce enim mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Iſrael ſicut concutitur in cribro: & non cadet lapillus ſuper terram. In gladio morientur omnes peccatores populi mei: qui dicunt, Non appropinquabit & non veniet ſuper nos malum.*

HActenus vates crebris & frequentibus tum exhortationibus, tum minis & terroribus vtramque Eccleſiam, Iſraelis nimirũ & Iudæ ad ſaniorem mentem reuocare, non abſque ſummo labore & contentione tentauit, ſed nihil prorſus ipſi mouebantur, imo prophetis vſque obiiciebant pactum diuinum, promiſſiones, vetera beneficia, externum cultum, Eccleſiæ titulum & alia eiuſdem generis innumera, quibus Deus huic populo ſeſe obſtrinxerat, quaſi fœdus quod cum patribus & ipſorum ſemine inierat, ſeruare non potuiſſet, ſi de huiuſce gẽtis ſceleribus commeritas pœnas ſumpſiſſet. Dicebant enim, Quî fieri poteſt, vt è terra illa expellamur atque eiiciamur, cum Dominus eam dederit Iſrael in hæreditatem, & gentes tam validas & potentes in gratiam noſtri funditus deleuerit? Quibus vanis & inanibus perſuaſionibus iam ſe opponit dicẽs, *Non-*

*ne velut filij AEthiopum eſtis mihi filij Iſrael?* Indigni eſtis vt filij ſanctorum appellemini, ſed potius AEthiopum, Amorreorum & aliorum infidelium, quippe qui Circũciſionem in præputium vertiſtis. Chananęos vocat eos, & parentibus Amorreis & Hitheis prognatos in aliis Prophetis dicit. *Ezech. 12. & 16.* Hoc in loco non temere AEthiopibus illos æquat, vt oſtendat ſe hactenus in illis admonendis & corrigendis non plus profeciſſe, quàm ſi quis AEthiopem dealbare inſtituat: quod apud Hieremiã clarius *Hier. 13.* dicit his verbis, Num mutabit Æthiops pellem ſuam & pardus maculas ſuas? tunc etiam vos, qui malo aſſueti eſtis, diſcetis benefacere. Gloriabantur interim ſecurè ſegẽtem eſſe ſanctam atque vati exitium ipſorum & interitum minanti obiiciebant, Deum non ſic eos miraculoſè ac præter omnium ſpem ſeruaſſe ex Ægyptiorum tyrannide ac in terram lac & mel fluẽtem introduxiſſe, eiectis incolis, vt illos tãdem perderet ac radicitus deleret. At illa ſoli mutatio, inquit, non oberit neque efficiet, vt veſtri rationem potius habeam quàm cæterarum nationum. *Nam nunquid non Palæſtinos de Caphtor vel Cappadocia & Syros de Cyrene aſcẽdere feci vt & vos de Aegy-*

*pro filij Iſrael?* Pauci ſunt qui χθονοπαῖδες, id eſt terræ quam incolunt filij vel indigenæ, vt Athenienſes ſe iactitabãt. Nam Romani à Romulo aduena & profugo propagati ſunt, Franci, Burgundi, Lombardi, & Normani ſedes antiquas relinquentes, nouas quas nunc incolunt, quæſierunt. Nullam ergo gloriandi anſam reliquit Iudæis Deus (imo eo magis obſtricti erant Altiſſimo, quo potiora ab eo beneficia acceperant) eo quod ex Ægypto liberatis ſedes nouas habitarint, quum & cæteris nationibus id commune ſit & vulgare, vt de Pa-
*Act.10.* læſtinis & Syris oſtendit. Nulla eſt apud Deum gentium diſcretio, ita vt quæcũq; illum timuerit & iuſtitiam fecerit, grata ſit ei, ſiue à Patriarchis, ſiue ab AEthiopibus traxerit originẽ. Ipſe creator eſt omnium, cunctas gentes de eodem finxit luto, &
*Rom.10.* æquali ſorte produxit. Non Iudæorum Deus tantum, ſed etiam Gentium, vt Ioe-
*Ioel.2.* lis teſtimonio probat Apoſtolus, Omnis qui inuocauerit nomen Domini ſaluus
*Act.10.* erit. Idipſum diuo Petro apud Ioppem in viſione demonſtratum eſt, cui Dominus prohibuit ne commune & immundum diceret quod ipſe ſanctificauerat, nimirũ gentes ipſas ſuper quas Spiritus Sanctus

viſibiliter deſcenderat, vt & ſuper eos, qui ſecundum carnem à Patriarchis propagati fuerãt. Æthiopum inſuper multi proſeliti ac Hebræorum ſacris initiati fuere, ab eo tempore quo regina Æthiopiſſa, quam Euangeliſtæ reginam Sabba & Auſtri appellant, inuiſit Solomonẽ vt eius ſapiẽtiam audiret: cuius rei faciet fidẽ Eunuchus ille Æthiops, qui Hieruſalem adorandi gratia venerat, quemque Philippus Chriſtianam legem docuit, atque Chriſti ſacris initiauit. Vſque in hodiernũ diem AEthiopes Chriſtianam religionem, vt pro focis & aris, aduerſus impiam Mahumetis ſuperſtitionem tuentur ac defendunt. Nonne igitur vt filij AEthiopum eſtis mihi filij Iſrael? Et Dauid ſic olim præcinuerat, AEthiopia præueniet manus eius Deo, id eſt Euangelium recipere properabit: nam AEthiopes primi populorum fuerunt qui Chriſti Euangelium ſuſcepere, vt in Actis Apoſtolicis, apud Abdiam Babylonium, Euſebium & diuum Hieronymum videre eſt. Extãt & in Pſalmis alia de AEthiopibus vaticinia, vt, Coram illo procident AEthiopes & inimici eius terram lingent. Ecce alienigenæ, & Tyrus & populus AEthiopum: hij fuerunt illic. Sunt qui ſic

*Mat.12.* *Luc.11.* *Act.8.* *Pſal.67.* *Pſal.71.* *Pſal.86.*

interpretantur: O ſtirps Iſraelitica nonne vt AEthiopes ac viliſſima vos potui habere mancipia, vt quos è terra AEgypti, grauiſſima nimirum ſeruitute eduxi? An ſic redemi Palæſtinos è Caphtor, & Syrios ex Cyrene? quos in veſtri gratiam non ſum dignatus reuocare atque illinc reducere. Vt autem vtraque Eccleſia ſciret nullum perſonarum delectũ eſſe apud Deũ, vates ſubiungit: *Ecce oculi Domini ſuper regnum peccans.* Nulla ſane cuiuſcũque regni prærogatiua perpetuum illud reddere poteſt, niſi Dei legem cuſtodierit: nam ecce oculi Domini ſuper omne regnum peccans, & auferet illud à facie terræ. Nullis regnis, vel regionibus parcet, nullæ gẽtes manum ipſius effugient. Nihil profuit illis Dauidis pietas, nec Solomonis peritia, neque aliorum regum piorum præclara faſcinora: quemadmodum nec nobis Caroli Magni pietas, nec ſancti Ludouici religio, neque aliorũ Chriſtianiſſimorum regum pius affectus, niſi ipſorũ fidem, bona opera & pietatem æmulati fuerimus, & quotidianis dictis, factis, & inſtitutis retulerimus atque repręſentauerimus. Non enim reſpicit Dominus in iudicio ſuo quantum quis beneficiorum acceperit ab ipſo, ſed

quanta gratitudine & fide illa acceperit, quam diligens obſeruator mandatorum ſuorum extiterit, quãtam in operibus ſuis fidem & iuſtitiam præſtiterit. Nam teſte Apoſtolo, Circũciſio nihil eſt, neque præputium, ſed obſeruatio mandatorum Dei: imo Tyro & Sydoni remiſſius & tolerabilius erit in díe iudicij quàm Corazinis & Bethſaidenſibus. At piorum conſolationem paucis audiamus, *Propterea non delendo delebo domum Iacob, dicit Iehoua*, id eſt nõ prorſus ad internecionem domum Iacob conteram ac elidam. Niſi enim Dominus Deus qui prius tyrannum, carnificem & tortorem egiſſe videbatur, paternas conſolationes inter minas ſparſiſſet, pii qui genua ante Baal non curuauerant, animum deſpondiſſent. Paterne igitur illos ſpiritales Iſraelitas quaſi per tranſennam monet ſe non prorſus deleturum domum Iacob, vt ſic pios in pietatis officio retineret. Calamum quaſſatum non ſolet pœnitus infringere, neque lignum fumigans extinguere. Cauillis etiam hypocritarum reſpondet ac ſatisfacit, quibus videbatur ne vllum Eccleſiæ ſeminariũ reſtare, ſi Deus hanc gentem in exilium truderet, & vt digna erat ſupplicio afficeret. Subiungit er-

*Gal. 5. & 6.*

*Matth. 11.*

*Eſa. 42.*

go: *Ecce enim ego mandabo & concutiam in omnibus gentibus*, vel quolibet gentium diſpergam *domum Iſrael.* Concutiam inquam illam *ſicut concutitur in cribro, & non cadet capillus ſuper terram*: id eſt qui vllius ponderis ſiue probitatis fuerit, non omnino peribit. Eccleſia & piorũ cœtus quocunq; ducatur illęſus & incolumis in medio inimicorum ſuorum permanebit, vt de Daniele & ſociis eius conſtat, de Tobia, Mardochęo & quamplurimis aliis in illo duro, ſæuo & crudeli exilio. Deus qui vtraque manu tenet cardines terræ, quaſi cribrum huc illucque concutiet, vt paleis ac ſordibus peccatorum in terram cadentibus purum frumentum remaneat, quod condatur in horrea, paleas vero igni comburet inextinguibili. Quid paleis ad frumentum

*Hier.23.* in Hieremia dicit Dominus. Hodie Iudæos infelices & miſeros vbique terrarum vagari videmus, inſtar frumenti quod in cribro verſatur & agitatur. Vtinam ſuæ viſitationis tempus agnoſcerent. Nulla ſibi conquerẽdi anſa relinquitur, ac ſi cum eis ſummo iure & rigidius duriuſque quam par eſſet, ageretur. Nam ſi Dominus Deus qui corda & renes intuetur, animaduertit in omnium regnorum ſcelera, etiamſi vo-

luntatem ſuam non ita per Moyſem & Prophetas illis aperuerit, vt & ipſis, quomodo non funditus deleret eos quibus iudicia ſua manifeſtauit, & nihil eorum quæ ad reſipiſcentiam illos adducere poterant prætermiſit. Poterat Dominus ſic eos affari; Vultis ne vt ego qui æquus iudex mũdi ſum propter vos de iuſtitię meę, quam in omnes gentes exercui, laude pericliter? An ſuper his non viſitarem, vt habet Hieremias, & gentem huic ſimilem non vlſciſceretur anima mea. Abſit. Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Vt autem trituratio & ventilatio ſolas paleas reiicit, tritico autem adeo non obeſt, vt hoc potius à ſordibus repurgatum in horrea recondatur: ita etſi afflictiones piis cum impiis communes eſſe videãtur, longe tamẽ diuerſus eſt illorum affectus. Pios autem Deus in cribro ſuo, id eſt ſua iuſta protectione ſeruat, fidem illorum fouet ac confirmat, vt tandem exploratos & omnibus malis ſuperiores factos in regni ſui cæleſtis horrea colligat. Quis ergo non videt neceſſarium nedũ vtile frumẽtum vanno purgari & à paleis ſecerni? Quis non recte factum iudicet frumentum in horrea colligendum, prius paleas ad ventum proii- *Hier. 5.*

ciendas, vt huc atque illuc diſpergantur? Sed vt Deus in promiſſis fidelis inueniretur, remanſit vtique purum & putum granum excuſſa palea, etiamſi parum aut fere nihil diſcriminis in trituratione & ipſa extritione appareret. Colligamus interea ex præteritis iudiciorum Dei exemplis, quid nobis eueniet. Sibiipſi ſemper conſtat in iudiciis ſuis, nec ea nũc probat quæ illi quondam diſplicuerunt. Puniuit olim diluuio homines impios & luxuriæ deditos. Flammis adiudicauit Sodomeos, & Ægyptios plagis multis affecit. Non ergo melior erit ſors eorũ, qui hodie talia committunt & illos imitantur. Vnuſquiſque apud ſemetipſum cogitet quæ furoris ſui exempla Deus in ſchiſmaticos, hæreticos, adulteros, fœneratores, homicidas, ebrioſos ediderit, & magnam ſibi offerri pœnitentiæ occaſionem experietur. Ne præſtolemur triturationis & excuſſionis tempus fratres chariſſimi, vel ſaltem ne paleæ ſimus ſed potius triticum, alias vt iſti apoſtatæ, gladio moreremur, vt Dominus per prophetam minatur eis. *Gladio morientur omnes peccatores populi mei*. Ac ſi diceret: Omnes qui in populo meo faſcinoroſi atque præfracti apoſtatæ ſunt, & nihilomi-

nus populi mei & Eccleſiæ reſtitutæ ciues ſeſe profitentur, gladio interibunt. Et mox quinam illi ſint, docet, nempe illi qui dicunt: *Non accedet neque anteuertet propter nos malum.* Sibi perſuadebat Deum in illos nullam immiſſurum, illaturumque cladem ac perniciem propter ſua ſcelera. Talis eorum confidentia fuit, qui apud *Iſa.28.* Iſaiam dicũt, Pepigimus fœdus cum morte, & cum inferis pactum fecimus. Flagellum inundans cum tranſierit non perueniet ad nos. Deploratæ enim impietatis eſt nota, cum Dei irati ſigna ob oculos verſantia quis non agnoſcit, ſed ſecure in ſcelerum luto volutabroque in dies volutatur, quod à nobis auertat Deus: Cui laus, honor & gloria in ſecula ſeculorũ. Amen.

## Homilia 29.

*IN illa die ſuſcitabo tabernaculũ Dauid, quod excidit: et reædificabo aperturas murorũ eius, & ea quæ corruerãt inſtaurabo, et reædificabo eũ ſicut in diebus antiquis. Vt poſsideãt reliquias Idumeæ & omnes nationes, eo quod inuocatũ ſit nomẽ meum ſuper eos: dicit Dominus faciens hæc. Ecce dies veniunt, dicit Dominus. & comprehendet arator meſſorem, & calcator vuæ mittentem ſemen, & ſtillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti*

*erunt. Et conuertam captiuitatem populi mei Iſraeli: & ædificabunt ciuitates deſertas, & inhabitabunt: & plantabunt vineas, & bibent vinum earum: & facient hortos, & comedent fructus eorum. Et plantabo eos ſuper humum ſuam, & non euellam eos vltra de terra ſua quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.*

RIgidiſſimum acerrimumque legis cenſorem ac veteris diſciplinæ & ſeueritatis magiſtrum egiſſe Vatē noſtrum in ſuperioribus concionibus clarius luce conſpeximus: nunc vero Euangeliſtæ perſona indutum de Optimi Maximique Meſſiæ ſummo fœliciſſimoque atque æterno imperio tandiu expectato ac ſumme deſiderato differentem arrectis auribus audiamus. Niſi enim in tam minacis prophetiæ epilogo ſiue peroratione gentem Hebræam pauidam & conſternatam, conſolationibus in Chriſto tandem aliquando obtinendis ſuſtentaſſet ac recreaſſet, quis animum non deſpondiſſet, ac in tam graui tentationum lucta non ſecubuiſſet? Idcirco poſt tot grauiſſimas comminationes per totum ferevaticinium ſparſas, Vates mitiſſimo atque ad ſubminiſtrandam ſpem idoneo fine duriores ac ſeueriores actiones concioneſque leniendo atque

mulcendo ſapienter & conſideratè clauſit: vt pij viri qui à religione non defecerant, in promiſſiones de Chriſto, quæ firmæ & ratæ ſunt, intuentes, conſolationem perciperent. Nam ipſe ſolus erat qui verè & integrè Dauidis regnum diſſentionibus primum & diuortiis diſſipatum, deinde irruptionibus omnino deiectum ad priſtinum ſplendorem reuocaturus erat, ruinas perfectè inſtauraturus atque tabernaculum rurſum ædificaturus, quemadmodum in diebus ſeculi & antiquis fuerat. Huius reſtitutionis negotium magnifico & illuſtri principio Amos exorditur, dicens: *In die illa ſuſcitabo tabernaculum Dauid.* Notum enim & certum planéque exploratū fuerat omnibus Prophetis & Patribus tempus aliquid affuturum, quo hominum collapſæ res renouarentur: inſtaurarentur, & in integrum reſtituerentur: quodquidem inſtaurationis tempus fauſtè feliciſſiméq; diei nomine vocat Scriptura, vt in Iſaia videre eſt. In illa die radix *Iſa.11.*
Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, &c. Et erit in die illa, adiiciet Dominus ſecundo manum ſuam, vt poſſideat reliquias populi ſui. Apoſtolus poſt Eſaiam illud nuncupat *2.Cor.6.*

tempus acceptabile & diem ſalutis. Ne autem illius regni Dauitici reſtitutionem & generis humani redemptionem & ſalutem cuipiam referremus acceptam niſi Deo auctori, dicit: *In die illa ſuſcitabo tabernaculum* vel cum tabernaculo Dauid id etiam quod cecidit. Tabernaculi nomine Eccleſiam ac eius in hoc ſeculo conditionem vates exprimit, vt & in Pſalmis quondam Dauid cecinerat: Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! Huius tabernaculi fundamentum conſtans, firmum & ſtabile Chriſtus eſt, ſuper quo Prophetæ, Apoſtoli & quotquot à conſtitutione mundi ſeruati ſunt, ædificarunt. Quemadmodum in bene conſtructo ædificio omnium lapidum mirabilis quidam ordo, & certa vniuſcuiuſque collocatio communi & mutuo officio opus totum conſeruat, ſic in ſacroſancta Eccleſia multorum generum & ordinum conſenſus communi fide & dilectione compactus ſacri Dei templi ædificium conſtruit: ſicut ſcriptum eſt, Templum enim Dei ſanctum eſt quod eſtis vos. Porro in tabernaculis milites ſæpe agunt, hinc inde ſedibus vagantes vt qui ciuitatem non habeant permanentẽ & quibus militia perpetua

*Pſalm. 83.*

*1. Cor. 3.*

petua ſuſtinēda ſit. Sic permanentē & quibus militia perpetua ſuſtinēda ſit. Sic Chri *Tob 7.*
ſtianorū vita militia eſt ſuper terrā aduerſus mundū, peccatū, & Sathanam. Animales Iudæi literæ cortici nimium inhęrētes, qui prius nucē frangere quā nucleum eſſe debuiſſent, hanc tabernaculi Dauidis renouationem, reſtitutionémque plenam, perfectam & integram Zorobabeli eorū duci ac regulo audacter tribuunt, qui neque Idumæos neque cæteras nationes, vt is inſtaurator, cuius vates meminit, ſuperauit: imo vicinæ gentes illi infenſiſſimæ, templi ſecundi & ciuitatis ædificationem pro viribus ſunt auerſatæ. Ad hæc Medis, Perſis, Ægyptiis & Syriæ regibus vectigales ac ſtipendiarij fuere atque tandem à Romanis deuicti, regem Idumæum Herodem ſuſceperunt, qui ſæuiſſimam in Iudæos exercuit tyrannidem. De Chriſto igitur Dauidis filio & domino, ac ipſius regno, quod eſt Eccleſia, vaticinium neceſſario intelligendum eſt. Nam Chriſtus *Gen. 49.*
is ipſe eſt Schilo, fœlicitas ſiue fœlicitatis author, qui poſt ablatū de Iuda ſceptrum ſuſcitaturus erat illud regnum pulchrius, clarius, & auguſtius quàm vnquam fuerat, & à legis ſarcina & onere ipſo Ætna

grauiori (quàm ne vlli quidem omni memoria portare potuerunt) ſimul etiam liberaturus. Propterea addit, *Sicut in diebus ſæculi*, id eſt priſtinis & antiquis, videlicet ante Moyſem, in quibus Eccleſia non fuit legis importabili onere grauata. Chriſtus
2.Cor.5. enim Dauidici Tabernaculi reſtitutor ab
Gal.4. hoc legis maledicto, pro nobis factus maledictus, abſoluit: is Idumæorum quoque reliquias, cæteráſque nationes vniuerſas, ſupra quas inuocandum erat nomen Domini, vel quæ ex nomine Dei cenſendæ,
1.Pet.1. & à Chriſto Chriſtianæ vocandæ, ſine aliquo perſonarum ac gentium delectu, ſibi, non auro vel argento ſed pretioſiſſimo ſui ipſius ſanguine comparauit. Re vera Idumæorum reliquiæ ad Chriſti regnum acceſſerunt, quando ſub Conſtantino Magno ſanguinarium illud totúmque rubens & cruentum martyrum ſanguine Romanum Imperium Euangelii iugo collum ſubmiſit. Præterea duæ præcipuæ ſacroſanctæ Eccleſiæ columnæ Petrus & Iacobus in illo œcumenico, celebri & vere Apoſtolico Concilio Hieroſolymis celebrato hanc Vatis prophetiam, tanquam maximæ authoritatis & ponderis, in medium attulerunt, vt probarent gentes ſine

circunciſione & ſabbati obſeruatione ad Chriſti regnum, vt Iudæi, admittendas eſſe. Et vt magis ac magis perſpicuum ſit hoc vaticinium ad Chriſti regnum ſpectare: Audiamus Angelum Gabrielem ad Vatis dictum alludentem, dum filij Dei incarnationem Virgini nuntiauit. Hic erit, inquit, magnus & filius altiſſimi vocabitur: & dabit illi Dominus ſedem Dauid patris ſui, & regnabit ſuper domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Sed ſingulas huius perorationis propheticæ partes penitius inſpiciamus, quandoquidem inſigne vaticinium eſt de Chriſto, ideo diligentius expendendum. Primum Tabernaculi Dauidis inſtaurãdi, ſimulque parietinarum & ſubuerſionum eius meminit, vt non deſperandum doceat, ſi domum Dauidis collapſam ac conuulſam videant. *Nam ſceptrum de Iuda* auferendum erat, vt Iacob prædixerat. Et Iſaias Meſſiam naſciturum vaticinatus fuerat de radice ſeu trunco Ieſſe, id eſt, de Dauidis poſteritate: ita contempta, vt ſalus ex ea non magis quàm ex trunco arboris eradicato & arefacto fructus aliquis ſperari queat. Quæ omnia temporibus Natiuitatis Dominicæ probè conueniunt. Nam

*Gen.49.*

*Iſa.11.*

Luc.2. vix Ioſeph & Virgo Maria qui ex ſtirpe Dauidica prognati erãt, in ipſa Bethleem ſtabulum repererunt, vt hoſpitio exciperentur. Tabernaculum igitur Dauidi eo modo deformatum ac dirutum Chriſtus ſuſcitaturus erat glorioſum, rimas eius oppleturus ac ruinas reſtauraturus. Sunt lupi ſub pelle ouina ſimulãtes oues, qui de Eccleſiæ reſtitutione & reformatione garriunt multa, quaſi per Chriſtum, Apoſtolos, & Apoſtolicos viros non fuiſſet planè & abſolutè reſtituta, vt in hac vltima concione docet Amos noſter. Quod ſi diſſidia ab eo tempore interceſſerint, & abuſus aliquot irrepſerint, comitiis, colloquiis, ſeſſionibus, ac patrum concilio compoſita ac reformata ſunt. Id faciendum nos edocuerunt Apoſtoli qui ad componendum diſſidium propter legis ceremonias & gentium receptionem ortum, hanc vatis ſententiam in Synodo Hieroſolymis protulerunt. Sed quid futurum ſit ex ipſius tabernaculi per Chriſtum reſtitutione ac per ipſius Apoſtolos, quorum ſonus prædicationis in omnem terrarum orbem exiuit, ex ſequentibus intelligamus. *Ecce, dicit Dominus, dies veniunt*, vel futurum eſt tempus, quo erit fertilitas, *vt ſimul*

*quis & aret & metat*: vuas ad exprimendum vinum calcet, atque conſerendis vitibus ſemen portet. Tantam frugum vbertatem, innuit vt illis colligendis vix tempus ſufficiat. Hoc Dominus in lege promiſerat iis qui mandata eius cuſtodirent. Apprehendet, dicebat, meſſium tritura *Leu.*1.26. vindemiam, & vindemia occupabit ſementem, & comedetis panem veſtrum ad ſaturitatem. Ad hæc montes pro aqua effundent muſtum: ſtillabunt dulcem liquorem: & omnes colles præ pinguedine diffluent lacte. Et quoniam promiſſiones huiuſmodi apud nos maxima cum difficultate fidem inueniunt, præcipue dum cruce exercemur, iſtis metaphoricis & hyperbolicis locutionibus ſolet ſcriptura cum paruulis balbutiens, populo rudiori beatum & proſperum ſtatum polliceri: præſagiens ſimul Chriſti regnum modis omnibus fœlix, & ex omni parte fore beatum. Nam ſub iis temporariis benedictionibus, quæ ſæpius timentibus Deum conceduntur, ſpiritales intelligendæ ſunt, quibus per Chriſtum benedicendæ erant om- *Epheſ.*1. nes gentes, qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus, & de cuius plenitudine omnes accepimus. Vitæ *Ioan.*1.

præſentis benedictiones præ ſpiritalibus nihil ſunt, cum ſpiritalium dumtaxat ſint quaſi adumbrata ſimulachra: præterea cũ infidelibus illas cõmunes habemus. Tametſi enim omnium rerum egeſtate pij aliquando afficiantur, quia tamen Chriſtum
Col.2. tenent & fide amplectuntur, in quo omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ reconduntur, montes alioqui ſteriles & infrugiferi, muſtum abundè fundent, & colles alioqui ſquallidi infœcundi atque horrẽtes, lactis copiam proferent ac fundent. Ni-
2.Cor.6. hil, inquiebat Paulus, habentes, & omnia
Iſa.65. poſſidentes. Et Eſaias: Ecce ſerui mei comedent, & eſurietis. Ecce ſerui mei bibẽt, & vos ſitietis. Ecce ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini. His promiſſiones
Mat.6. Euangelicæ conueniunt, nimirũ, Quærite primùm regnum Dei & iuſtitiam eius,
Mat.19. & omnia adiicientur vobis. Vos qui reliquiſtis omnia & ſequuti eſtis me, centuplum accipietis & vitam æternam poſſidebitis. Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſ-
1.Tim.4. ſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ. Rectius tamen, vt diximus de ſpiritali benedictione, & chariſmatum abundantia, hæc omnia interpretabimur, nec in eundem lapidem cum piliaſtis impinga-

mus. Sub Chriſti enim aduentu ager ille totius orbis terrarum ad meſſem Euangelicam vberrimam flaueſcere & albeſcere cœpit. Miſit autem in illam Deus Apoſtolos, qui & agricolæ fuerunt vt agreſtia incultáque mortalium pectora Euangelij prædicatione proſcinderent, & iiſdem inſererent verbi cæleſtis ſemina, ex quibus in Dei filios per ſacramenta renaſcerentur. Illi ipſi vuas ſaluberrimas calcarunt, & ex prophetarum oraculis obſcuris & antea non planè intellectis liquorem dulciſſimum elicuerunt, quo animæ piæ & religioſæ refocilari & recreari ſolēt. Denique ex Chriſti beneficio fit, vt Eccleſia montes & colles habeat, paſtores nimirum & doctores, qui in regni cæleſtis cognitionē altius euecti ſaluberrimum illud Euangelij muſtū deſtillant, quod non niſi in vtres nouos recondi poteſt: infirmis vero adhuc in Chriſto & paruulis lac propinant ſyncerum, prima videlicet fidei rudimenta, in quibus etiam ipſi tandem in viros perfectos adoleſcant. Paſtores illos & doctores pios & Catholicos, quales fuere Iuſtinus & Cyprianus glorioſi martyres, Ambroſius, Baſilius, Nazianzenus, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius & alij quamplu-

rimi, in Eccleſia othodoxa & Catholica diligenter & attentè audiamus. Extraordinarios vero ſchiſmate & hæreſi infectos vt peſtem fugiamus, ne nobis exprobretur aut obiiciatur quod olim Iudæis per Hieremiam: Dereliquerunt me fontem viuum, & ſibi foderunt ciſternas pertuſas, quæ aquam continere non poterant. Ne autem de reſtitutione in integrum quis dubitaret, addit: *Reducam captiuitatem populi mei Iſrael*, id eſt, reducturus ſum è populo meo Iſraelitico captiuos qui iam vltra Aſſyriam in Arſareth agunt: qui vrbes deſolatas reædificent, atque pulchrè reparatas ſecuri inhabitent. Plantabunt vineas & earum vinum bibent: facient item hortos omni deliciarum genere refectos, quorum voluptatem percipient nimirum fructus eorum eſuri. Summæ pacis & tranquillitatis nullum maius atque efficacius argumentum eſſe poteſt, quam agriculturæ exercitatio & vſus, quod in tabernaculi cõpleta reædificatione hoc in loco pollicetur Dominus. Quamuis hæc iam ex parte ſint impleta, cum ex captiuitate reduces facti ſunt, ac Iudæi modo ſuperſtites vltimo tempore vana ſibi expectatione promittant carnaliter implenda, nos

*Hier. 2.*

tamen qui non occidentem literam ſed ſpiritum ſequimur viuificanté, iam in Eccleſia conuincimus expleta, & quotidie impleri in ſingulis, qui ruentes per peccatum, reædificantur per pœnitentiam: & hoc Chriſti beneficio, qui miſeros mortales ex diaboli & peccati ſeruitute aſſeruit in libertatem filiorum Dei, per totum orbem Eccleſiam conſtituens, in qua ceu vineis & hortis fertiliſſimis Chriſtiani ſtudiorum ſuorum fructu, tranquillo animo & quieto fruuntur. Quod autem ad Chriſtum & ipſius Eccleſiam iſta pertineant, docet in hunc modum cõcludens. *Et plantabo eos ſuper terram ſuam, & non euellentur amplius è terra ſua, quam dedi illis, dicit Dominus Deus tuus.* Ac ſi diceret, Plãtabo eos in terra ſua, altum adeo, & tam firmè actis radicibus, vt non amplius è terra ſua, quam eis dedi, euellendi ſint, aut ſuis ſedibus deturbandi. Nulla nobis ſane alicubi firma & ſtabilis habitatio niſi manu Dei plantata & firma fuerit. Conſtat interea Iudæos poſt reditum ex Babylone per Romanos denuo exciſos, & in totum orbem diſperſos fuiſſe. Nunc vero toto orbe vagantur, nullam certam & fixam aut propriam ſedem habent, nullos obtinent

neque colunt agros, vel vineas, vel hortos. Omnes eorum fortunæ in nummis & promercali ſupellectili conſiſtit, vt ad quamlibet migrationem promptiores ſint & expeditiores. Loquitur ergo Vates de ſpiritali plantatione, quæ Eccleſiam Chriſto inſeuit, ita vt portæ inferi aduerſus eam nunquam ſint præualituræ. Quod vt perſuaſiſſimum habeatis, ſcitote ſic dixiſſe Dominum Deum noſtrum, qui vt mentiri non vult, ita nec poteſt. In illo totam noſtræ ſpei anchoram configamus. Non patietur oues ſuas à lupis diſcerpi. Frumentum firmum & ſolidum cribro diu agitatum, paleis in auram volãtibus, in horreum ſuum congregabit ac diligenter ſeruabit. Ipſi debetur honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Math.16.

Quadrati Homiliarum in Amos Finis.

# *INDEX ALPHABETICUS, iſdémque locupletiſs. in perdoctas has Amos Prophetę Homilias H. M. N. Quadrati, opera F. M. I. Cenom. H. æditus: in quo a paginā priorem, b poſteriorem, vtraque vel neutra vtramque deſignat.*

A


ABraham ruinam Sodomæorũ defleuit.71.b.
Achilles Hectoris à ſe occiſi corpus dari ſepulturæ conceſſit. 22.b.
Aedificantium pauperum ſumtibus præſagiũ.81.b.
Aequus in iuſtitia & benignitate Dominus.22.a
Aeſchili concilium. 82.b. 83.a.
Aethiopes cur vocet Iſraëlitas Deus. 154.155. 156.
Afflictis compati charitatis eſt munus.71.b.
Αγαπε temporib. Apoſtolor.136.
Amazias pſeudominiſter callidus & vt cæteri, aſtutus. 123. b. 124. 125. 126.
Amaziæ pſeudoprophetæ punitio. 129.a.
Amicitiæ fœdera vt plurimùm proſperitatis tempore ſtabilia 15.a.b
Ammonitę & Moabitæ Lothi propagine. 20. b.
Ammonitarũ inauditum facinus. 20. b.
Amos ad Propheticum munus aſſumptus eſt vt Pſeudoprophetæ condemnarentur.5.b.
Amos non Hieruſalem, ſi

Thecæa protulit.2.a.
Amos Propheta extraordinarius miraculo ſuã probat miſſionem. 127.a.
Amos Deum pro populo deprecatur.113.a.b.
Amos ex opilione inProphetam aſſumptus.1.b.2.a.126.b.127.a.b.
Amos hoc tempore perduellionis reus haberetur.53.a.
Amos paſtoricijs ſimilit. vtitur.5.a.
Amos Philoſophiæ ſcopus.5.a.
Amos ſub quibus regibus vaticinatus eſt.3.b.
Amos decem tribubus deſtinatus,reliquas obiter perſtringit.3.b.
Amos miſſus vt inſolentiam magnorum comprimeret.3.b.
Amos Prophetiam magni fecerunt Apoſtoli.1.b.
Anabaptiſtæ ſuperſtitiosè à iuramento abſtinent. 140.a.
Angeli è Hieroſolimitano templo aufugerunt priuſquam à Romanis vaſtaretur. 150.b.
Angelor. de hominibus cura.150.a.b.
Angeli Chriſtianorum ſacris adſunt. 150.b.151.a.
Angli cuiuſdam è Gallia profligati apophtegma. 31.b.32.a.
Animæ cibus præſtat corporeo.145.a.
Anno 7.carius frumenta vendebant Iudæi.138.a
Apoſtoli Amos Prophetiam magni fecerunt. 1.b.
Aquas maris ſalſas,dulces refundit in terram Deus.78.b.
Aquæ Deo obediunt, cũ id ſolus homo detrectet.80.
Arrogantiam Dominum detectari exemplis patet.104.a.b.
Ars muſicę Dei donum. 103.
Arx Hieroſolimæ Sion poſtrema inter vrbes Iuda capta eſt. 98. a.
Aſtrologorum pronoſticationes ad quid conſuluntauari.137.
Atheiſmus ſectarum periodus.77.b.
Auari hydropicis ſimiles. 137.a.
Auaror. diuitum conſuetudo.135.b.
Authoritatem in malis puniendis, & clementiam in bonis ſeruandis adiungit Deus. 48.a.
Azza vrbs regia Palæſtinor. Samſonis morte celebris, igni deuota. 13.b.

B

Baccanalia gentium à pleriſque reuocantur. 144.a.
Baſilij de pauperibus ſubleuandis præclarè dictum. 98.b.
Bella quædam iuſta, alia omnino exitioſa ſunt. 11.a.
Bellor.ciuiliũ extinguendorum modus.26.a.
Beneficentię obliuiſci nequiſſimum eſt. 31.a.
Beneuolentiæ argumentum eſt obiurgatio & correctio. 59.b.
Beſtiæ gratitudinis memores.31.a.
Bethel in Bethauen mutatur.57.a.
Bonum omnes appetunt, in cuius electione hallucinantur multi.84.b.
Breuis Amos oratio plurima, eáque optima impetrauit.115.b.
Bruta in ſui generis rarò ſæuiunt animantia. 19.a.

C

Caluino impudentiſſ. B. Hilarij argumentum friuolum eſt.105.a.
Catholicę religionis profeſſores plura ab hæreticis quàm à tyrannis perpeſſi ſunt.122.b.123.a
Catholici malè audiunt apud Turcas ob hæreticor.ſtupra.29.b.
Cain ſepties puniendũ, quomodo.9.b.
Calamum quaſſatum non confringit Deus. 157.a.
Cantica noua eáque profana cantabant Iudæi ſpretis hymnis ſacris. 133.a.
Cantor. 4000. Dauidis tempore.
Carmeli montis olim fertilitas.7.a.
Carnalis ſecuritas vbique damnatur.99.a.
Carnes etſi ſemper bonæ, non tamen ſemper licitæ vſui.102.
Ceremonijs nudis colentes Deum Iudæi arguuntur,93.a.
Charitatis mœnium afflictis compati.71.a.b.
Chriſtum incarnandum Adamo, Abrahæ, Dauidi prędenunciatũ.44.a.
Chriſtus futurã Hieroſolime ruinã defleuit.71.b
Chriſtiani quomodo ex inimicis vtilitatem capiunt.23.b.
Ciuitates virgines quæ appellentur.73.a.
Clementia ſua bonos ab impiorum interitu pręſeruat Deus.48.a.b.
Cognatione patriæ nulla

propior. 19.b.
Colit quilibet quod ſupra Deum amat.28.a.
Collignei putidum cadauer in fruſta conciſum. 54.b.
Comminationes pijs illatæ diuerſę à minis factę impijs.14.a.b.
Comminationes Prophetar, cur non timebant Iudæi.143.a.
Conatus noſtri vani ni Deus aſpiret.65.b.
Condei & Collinei præclarè geſta.28.a.
Conſolationem terroribus permiſcere ſolent prophetę. 69.
Contingere quid ſoleat alienorum rapacibus 20.b.
Corporalia nulla proderunt, Chriſto ad iudicium properante 34.
Correctio eſt beneuolētiæ argumentum.59.b.
Corripi graue non eſt,ſed correctione non emendari 59.b.
Creaturam an liceat in iuramento aſſumere. 148.b.149.a.
Cruce apud pios nil efficacius.68.a.
Crux veri comes ſemper extitit 121.b.
Culpę remiſſionem non ſemper extitit.121.b.
Culpæ remiſſionem non ſemper comitatur pœnæ abſolutio. 86.b.
Cultus exterior ad quid inſtitutus. 93.a.

D

Damaſco cur ſupplicia minitetur Dominus.8.a
Decemuiri in iudicijs exercendis erant non cauſarum ſed perſonarum. 78.a.
Dei tolerantia nos ad pœnitentiam inuitat.4.a.
Deus per os Prophetarū loquutus. 2.b.
Deus nos non niſi coactus percutit. 62.b.
Deus non eſt accept. perſon.1.b.
Deus cultus ſui contemptum vlciſcitur.4.b.
Deus ijs potiſſ. ſuccēſet quibus plura beneficia contulit.37.b.
Diem Domini deſiderare quid ſit.88.b.
Dies inſcript. ſymbolum fœlicitatis 79.b.
Diſcretio nationum nulla apud Deū.155.b.156.a
Diſputationibus cum hereticis non congrediēdum.27.a.
Diſſerere de reb. diuinis cuiuis non licet. 118.b.
Diuitię ſeipſis non ſunt malę.98.b.
Diuitum auaror.c uoſue-

tudo.135.b.
Doctiſſimor.quorund. in hereſim lapſus vnde. 25.b.
Doctores orthodoxi plura à pſeudoprophetis quam à tyrannis ſæuiſſ. perpeſſi ſunt.122,b.123.a.
Doctrina cœleſtis in vatis fictilib.repoſita.2.a.
Doctrina vera non ex hominibus ſed à Deo pēdet.2.a.
Druides ſemel in anno omnium Galliarū lites componebāt. 11.b.80.b

E

Eccleſia nuſquam Doctorib. egregijs deſtituta. 146.b.
Eccleſia euadens tyrannor. perſecutiones in ſectarios incidit 89.b.
Eccleſia acerba paſſa eſt à ſubdolis fratribus.16.b
Eccleſia vnica eſt, in qua ſola Deus purè colitur. 6.a.
Eccleſia & literis pollentes,& piſcat. habet,1.b.
Eccleſiaſtes animum non deſpondeat, etſi paucos caſtigatos ſentiat. 35.a.
Eccleſię nihil conducibilius quàm doctos habere & Spiritu Sancto afflatos prædicatores. 32.a.
Eccleſię cum materiali ædificio cōparatio.160.b.
Eccleſiæ paſtores ſpeculatores ſunt.42.a.
Eſau conceptum in Iacob odium perpetuum cōſtitit.18.b.
Euangeliſtę perſonam tādem aſſumpſit Amos. 159.b.
Exemplis priſcor. abutebantur Iudæi.57.a.
Exercituum ſe Dominū appellat Deus. 70. b. 71.a.
Exordio acri cur vſus ſit Propheta.5.a.
Externus cultus ad quid inſtitutus.93.a.
Exulat à curia veritas. 81.a.

F

Famem verbi Dei vt Iudæi patiuntur heretici. 146.b.147.a.b.
Fames impietatis ſupplicium.60.a.
Fides ex hominibus non æſtimanda 8.b.
Filius Dei Patris,Sapientia, Scientia & Mens dicitur.104.b,105.a.
Flagella addit grauiſſim. Deus, leuioribus non correptis 67.b.
Flagellis corripi. 59. a. b. 67.a.

Flagellati effugia quærimus,nec tamen côuertimur.66.a.
Fleuerunt quidam Rom. Imperatorum ſuper à ſe obſeſſas vrbes. 22. b.
Fœnerat. impoſturas taxat Amos. 142.b.
Fons veritatis in ſola Eccleſia catholica.6.a.
Fortaſſe dictio in ſcript. ſacra cur ponitur,86.a.b.
Franciſci 2. cor Aureliæ ſepultum Hugnoſtici frixerunt.23.a.
Fructus hæreticę reformationis. 27.b.28.a.
Frugibus duplex vitium nocentiſſ.63.b.
Frugum cariſtia peccatis noſtris aſcribenda.64.a
Frumentum verbi Dei meſſis tempore colligendum.145.b.
Fruſtraneæ ſimultates fouentium preces. 20.a

G

Galaad regio vbi ſita.9.a
Galli qui doctores Cathol. contempſerunt, apoſtatas,exules,& infideles ſuſceperunt.3.a.
Galliæ regnum perturbationib. quatietur quouſque hæreſeω a peſtis radicitus euellatur. 27.b.
Galliar.ciuitates virgines paucę,& quæ,73.a.
Gallos, Angli, Germani, &c. bella ciuilia & religionis cathol. diſpēdia paſſi, prudentiores reddere oportet. 18.b.
Gall.hoc regnū qui propugnare deberent, diripiunt.72.
Gallorum cupiditatis punitio.21.a.
Gentes idololatræ Caluinates mille mortis generibus damnarēt.47.a
Gloria patrum filios habere ſapientes.32.b.
Græca Eccleſia etſi à nobis diſſideat,pro eo tamen orandum.103.
Gręci nunc coguntur ſectam Mahometi perſpicere.3.a.
Grauitas doctrinę ex perſonę vilitate non minuitur.8.b.

H

Hamat magna putatur eſſe Antiochia.100.a.
Hereſiarchæ ſolos ſe Deū noſſe iactitauit. 76.b. 77.a
Hereſis non eſt primum peccatum.25.b.
Heretici reb. ſecundis offeruntur.3.b.
Heretici poſt tertiam admonitionem defugiendi.111,b.

Hęretici quantum doctis pariter & indoctis obſint.111.b
Hæretici miraculis debuerunt ſuam teſtare miſſionem.127.
Hæretici ſimiar. more catholicos imitantur ritus.57.b.
Hæretici à ſe deceptos compellunt ſtare nequiter promiſſis. 28.b.
Hæreticor. ſimulatio cũm perſequutionib. atterũtur.60.b.
Hæreticor. conuentus auerſatur Deus 92.a.
Hæreticorum diſcipuli à præceptorib. diffident. 39.a.
Hęreticorum ingenium. 12.a.mores.28.b.
Hæreticor. de ſcripturar. facilitate impudens iactantia.118.b.
Hæreticorum cœtus mera ſunt lupanaria.6.b.
Hæreticorum horrenda ſtupra.29.a.b.
Hęreticor. ædes profanæ ab Honorio Imp. fiſco adiudicatę.119
Hæreticor.pſalmi rithmici Deo inuiſi.93.b.
Hæreticor. doctrina exareſcit, Domino per Doctores clara verbi ſui buccina perſonante. 6.b.
Hieremias ruituram Hieruſalem lamentatus eſt 71.b.
Hieroboam in idolomania diſſeminanda calliditas.57.a.b.
Hieroſolimis internè coli volebat Dominus internè vbique.6.a.
Hymnos metricos cur ædiderint S.S.Patres.93.b.94.a.
Hyperbolica loquutione quando vtatur ſcriptura.67.b.68.a.
Hyram ſumma amicitia Dauidem coluit. 15.a.
Hominis vtraque ſubſtãtia cibo indiget. 145.b.
Hortorum cura.64.b.
Hoſtis terga vertendo nõ ſuperatur.69.a
Hugnoſtici malunt Caluini quàm Apoſtolor.decreta ſeruare 92.
Hugnoſticor. in mortuorũ corpora furor. 22. b. 23.a.

I

Iannes & Mambres Moyſi multum negotij faceſſerunt.122.b.
Idumęi & Iſraelitæ cognatione affines.17.b.
Idumęor. vaſtationẽ Abdias & Ezechiel depinxerunt.18.a.
Idumęor. in Iſraelitas ſiꝫ multas.18.b.19.a.

Ignis nomine vindicta diuina ſubintelligenda 20.a.
Imbrem ſæpius Chriſtiani precibus impetrarunt.61.b.
Increpationes neceſſariæ longè à ciuilib. iniuriis diſtant.53.a.
Iniuria nec bonis nec malis fienda.23.a.b.
Ioſeph augmentum ſignificat 85.b.86.a.
Iſraelis imperiũ qui floruit.4.a.
Iſraelitarum ſimul & Syror. cur pœne inferendæ prænuncientur.8.b. 9.a.
Iſraelitæ in quibus Idumæis cõſentiebant.9.b.
Iſraelitę à dieb. Hieroboã idolis non valefecerũt 27.a.
Ironia mordaci vtitur propheta.56.b.
Iudæa gẽs quæ olim Deo chariſſ.59.a.b.
Iudęa quondam decem mille vrbes continuit 106.a.
Iudæa eſt montana.61.b.
Iudæi dũ Sacerdotes reſpuerũt, pecuarios audire ſunt coacti.3 a.
Iudæi Nabuchodonozórẽ effugiſſe rati, in Aſſuerum inciderũt.89.b.
Iudæi modò vbique vagi & profugi,157.b.
Iudęi auitor. nominum pertæſi, gentium ſibi nomina arrogabãt.99.a
Iudex non immutata formula in omnib. ſententiis vti ſolet. 17.a.
Iudices & Conſules ciuitatum vectes.11.a.
Iudicia olim in portis fiebant 80.a.b.
Iudicium à domo Dei incipere conſueuit.151.b.
Iudicium diuinum nulla creatura poteſt euadere.152.b.153.a.
Iudicium colorib. viuis Ierro vitam depinxit. 11.a.b.
Iudicum & tortor. varia æſtimatio.108.a.
Iuramentis non aſſueſiendum.140,a
Iuramentum diuinũ quid ſit.54.a.
Iurat per ſemetipſum Deus cur.54.a.
Iurat Deus per Sanctuarium ſuum.54.a.b.
Iurare qui liceat per creaturam.148.b.149.a.
Iurans Deus per Filium, per coæqualem iurat. 105.a.
Ixionis ingrati labes à poetis arguitur.31.a.

L

Latomi ſimilitudine vtitur Dominus.117.
Laruis terreri leonem,

quid ſignet. 7.b.
Legis cōcio rugitui leon. comparatur, Euangelij verò ſuauiſſ. doctrina. 5. b. 6. a.
Leo in ſupplices clementiſſ. ira concitatus ferox 5. b.
Leonis rugitu j miniſteriũ prophetar. comparatũ. 40. b.
Litera tantum occidente potiuntur Iudæi, viuificante ſpiritu deſtituti. 146. a.
Locor. ſanctor. nominibus hereſim velabant Ihero boanitæ. 57. a.
Locuſtæ frugibus exitioſiſſimæ. 111. b. 112. a. b.
Lóganimis Dominus. 100 b. 131. a.
Luctus paſcuor. metaphoricos quid notet. 7. a.
Ludouici 11. corpus Hugnoſtici è ſepulchro extractum immaniter cóbuſſerunt. 23. a.
Lugent pij & impij, ſed diuerſa ratione. 72. a.

M

Magiſtratu ſublato ſola ſupereſt reipub. vaſtatio. 24. b.
Magiſtratus omnis à Deo conſtitutus. 51. b.
Magiſtratus eſt in ſontes animaduertere. 23. b.
Magiſtratum laruatum pecuniæ amor efficit. 25. a.
Magiſtratuum nouor. exitioſè in dies augetur copia. 80. b.
Mali cuiuſmodi author ſit Deus. 42. b.
Malum damni duplex. 43. a.
Malum pœnæ publicum, ſemper ob ſcelus infligitur, priuatum nō itē. 43. a.
Malum duplex delicti & ſupplicij. 42. b.
Mammon cultores ſuos nũquam ſinit eſſe quietos. 137. a.
Martyr eſſe nō poteſt qui in Eccleſia non eſt. 92. a.
Martyrum nomina olim Chriſtianis imponebãtur. 99. b.
Medicor. more nobiſcum agit Deus. 37. b. 38. a.
Melchiſedecico, ſacrificiũ Dominicum præſignatum. 90. b.
Membra cur Deo ſoleat ſcriptura tribuere. 105. a
Mercatorum in ponderibus fraus. 138. a.
Mercatura nil ſanctius, ſi fideliter exerceatur, 138. b.
Minę diuinæ non contemnendę, vt nec fruſtaneę. 40. a. b. 41.
Minę per prophetas de-

nunciatę euanidænõ ſunt 5.b.
Miraculis miſſionem ſuam quam extraordinariam dicunt, probare debuerunt hęretici.127.a.b.
Miracula hęreticor. ſunt viuentes mortificare, videntes excæcare, &c. 151.a.
Miſericordia apud omnes, non pluris habetur crudelitatẽ verò omnes deteſtantur.14.b.
Miſeror.non miſerantes iuſté miſeria afficiuntur. 97.b.
Moabitarũ in demortuorũ reliquias furor.22.b.23.a.b.
Moſes pro populo idololatria deprecatus.113.b.
Moyſi plus negotij faceſſerunt Iannes & Mãbres quàm Pharao. 122.
Monachis piis, ac doctis Eccleſia his tẽpeſtatib. non caruit.33.a.
Monachor.inceſtus nefandos excuſare conantur hæretici.33.b.
Morte placida non defunguntur tyrãni:exempla. 24.a.
Mortem impatienter flagitantib.vę impręcatur. 89.a.
Mortuor.ſanctor. ſuffragia proficua.113.b.114.a.
Moſcholatria exilij Iſrae-
liti ci cauſa. 5.a.
Mulieroular. deſolationes in tranſmigr. Salmanazar.55.
Munera diuina cum gratiar.actione excipienda. 66.b.
Munitiones validæ Deo iraſcente corruunt. 55.b. 56.a.
Muſicæ diſciplina donum Dei ad quid datũ.103.a.

N

Nilus Ægyptum irrigans pręterfluit.141.b.
יהוה nomen ſubſtantiam Dei ſignificans.78.b.79.a.
Nomina SS.Martyrum olim Chriſtianis in ſacro fonte dabantur.99.b.
Normanorum quorund. pia in defunctos cura 106.b.
Noſſe Dei quid complectatur.36.b.
Numero ternario & quaternario vſus propheta quid inſinuet.9.b.
Nutui diuino nil nõ accedere.9.a.

O

Obſcurè dicta quędam cur in ſcripturis 118.
Obſtinatorum ſupplicia ſunt inferorum ſubur-

bia.50.a.b.
Obniandum Deo corripienti,fide & pœnitētia. 68.b.
O diſſe corripientem grāde peccatum.81.a.
Opem quibus ferat Deus 84.b.
Oppreſſio pauperum,&c. vnde 81.b.
Oratio prophetæ, breuis plurima eaque optima obtinuit.115.b.
Oratio qualis debeat eſſe. 115.b.116.a.
Organis olim etiam populus ad pietatem excitabatur.94.a.
Ozias ſucceſſu rer.elatus ſacerdotale munus vſurpauit,ideoque lepra percuſſus eſt.4. b.
Oziæ regis tempore prophetauit Amos.3.b.

P

Palæſtinor. quinque pręcipuę ciuitates quæ 13.b.
Panem ſuper mortuor. ſepulturam ponere. 134.b.
Parabolæ fructuum multiplices in ſcripturis 132.a.
Paranomaſia figura dictionis 75.b.
Pariſij & Galliar. vrbes in pauperes miſericordia affectę.15.a.
Parta malè, malè dilabūtur.47.b.48.a
Paucitas ſaluandorū.49.a.
Pauperes nil habent quod querantur de Deo. 2.a.
Pauperum prędones iudices arguuntur. 52.a.b.
Peccati author non eſt Deus. 43.a.
Peccator. dimiſſor. pœnistentia obliuiſcitur Deus 141.a.
Pecuarios euehit ad munus propheticum Deus, 1.b.
Pœna dilata augeſcit-130. a.
Pœna grauiſſ.ſibi ipſi hominem relinqui, nec à Deo erigi. 10.a.11. b.
Pœnas differt Deus quouſque completę fuerint iniquitates peccat. 10.a.
Pœnę externæ ſunt Dei amantis virga & baculus. 12.a.
Pœnitentia ſola malis imminētibus obſiſtere poteſt.107.b-108.b.
Pœnitentiam negligere ingruētib. periculis reprobationis argumentū 101. b.102.103.
Periculoſum pluries eod. peccati relabi.10.b.
Peregrinationes Iudæor. vanæ.74.a.
Philippus Imper. publicæ pœnitētiæ addictus.24.b
Philoſophor. rationes de pluuia non ſufficiunt. 80.a.

Pij & impij diuerſa ratione lugent.72.a.
Pior.& impior. in flagellis ſuſtinendis varia actio.61.a.
Plauti inhumana de pauperibus ſententia.98.b
Pluuię rationes philoſophor.inſufficiétes.80.a.
Poetæ prophetar. æmulatores.76.b.
Poſteros nullos relinquere ſummum calamitatis genus eſt.106.b.
Poteſtate non vtitur Deus contra ſuam volũtatem. 43.a.
Prædo prædæ exponetur. 47.b.
Preces ſanctor.valde vtiles.113.b.
Præteritũ pro futuro vt quid in prophetis ponitur.72.b.
Procas Syluius quo tempore Romanis imperauit.4.b.
Proditor. domus ſolo æquantur.50.a.
Prophetæ cur dicendis prætermittant,Hęc dixit Dominus.8.b.
Prophetæ nil non à Deo acceptũ proponunt.38.b
Prophetar. eſt publica ſcelera publicè ſuggillare. 80.a.
Prophetar. miniſterium leonis rugitui comparatur.40.b.
Prouidentia diuina quouſque extendatur.36.b.
Pſalmi rithmici hæreticor.Deo inuiſi.93.b.
Pſeudominiſtror. hodiernor fraus.124.
Pſeudoprophetę ſecũ & cum veritate pugnant. 38.b.
Pugnandum cum Deo fide,precib. & pœnitentia.69.a.

R

Rabab ipſa eſt Philadelphia.21.a.
Rebus proſperis inſoleſcunt,& aduerſis deſperant impij.109.b.
Reges ſua ſceptra abripi ægrè ferunt. 121.a.
Regię libidinis reprimédæ ratio.24 b.
Regnum diſſidiis ardens neceſſũ eſt ruere.72.b.
Regnum nullũ vlla prærogatiua perpetuum poteſt reddere ni legẽ Dei cuſtodierit.156.b.
Regnum Dei quale.84.b. 85.a.
Regum in malor.pręnuncios conſuetudo. 125. a.
Reuelat Deus Eccleſię per prophetas futura bona & mala.44.a.
Rom.Imperatores ruituras ſibi inimicas fleuer. vrbes.71.
Romuli imperium.4. b.
Ruben cur primogenitu-

ræ prærogatiua orbatus 29.a.
Rugitum cur de Sione ſe editurũ prænunciet Dominus.6.a.40.a.

S

Sacra prophanis nõ ſunt accommodanda vſibus. 160.a.
Sacramentarij variè omnino interpretãtur, Hoc eſt corpus meum.39.a.
Sacrificia Iudæis cur præcepta.93.a.
Saluandorum paucitas. 49.a.
Samariæ mons vltimò vrbium Iſraelitici regni captus eſt.98.a.
Samaritę exemplo Iacobi abutebantur.57.a.
Samuel Saulis reprobationem defleuit. 71.b.
Sanctor. preces quantum proſint.113.b.
Sarchaſmus mordax ironia.56.b.
Sardapapalus quãdo Aſſyriis imperauit.4.b.
Sathan ſemper res diuinor. ſacrament. eſt ęmulatus.58.a.
Scapham neſciuit Amos aliter quàm ſcaphã vocare.52.a.
Scholę apud Iudæos erãt prophetar 128.a.
Schiſmaticor. culpa nec ſanguinis effuſione lauatur.92.a.
Scripturas quaſdam omnes reiiciunt hæretici. 111.b
Scripturæ ſenſum peruertunt hæretici.112.a.b.
Scripturę non addendum aut detrahendum.130.b
Secretum diuinum nec magi nec mathematici aſſequi poſſunt.43.b.
Sectar. vltimus finis atheiſmus.77.b.
Seditio ſinceræ religioni vt plurimùm obiicitur. 121.b.
Seditiones tumultus inſontiũ cædes, vnde.25.a.
Sennaar vrbs ipſa eſt Cteſiphon & Seleucia dicta.99.b.
Sepultura carere maledictionis loco habitum eſt.106.b.
Sermo diuinus nec fallit, nec fallitur.8.b.
Sermo effundendus non eſt, vbi negatur auditus 82.b.
Simiar. more catholicos ritus imitantur hæretici.57.b.
Simultates eorũ qui Chriſto nomen dederunt. 19.a.
Sitis famis malum ſuperat.61.b.
Sodomæ horrendum incendium.67.b.68.a.
Sodomæor. ruinã defleuit Abraham.71.b.

Solennitates Iudæor.homicidiis pollutę.143.b.144.a.
Spiritus ſanctus doctor veritatis.2.b.
Spiritus Sanctus ſibi vbique conſentiens.13.b.
Succeſſus rer.pernicioſus.3.b.4.a.
Superbiam Deum auerſari exemplis patet.104.a.b.
Supplicior.excogitatores tyrannis etiam inuiſi.9.a.

T

Temporadiſtinguenda in quibuſdam faciēdis vel omittendis.102.a.103.
Temporum vices permutat Deus.79.b.
Thecoa vicus ignobilis.2.a.
Theodoſius à B. Ambroſio ſacris excluſus.24.b
Timendum nobis paries cũ proximus ardet.18.a.
Tyrij multorũ damnãtur criminum.15.16.
Tyrij violati fœderis arguuntur.15.a.
Tyrãni vix morte placida defunguntur.24.a.
Tyrannum diu viuere inſolitum.120.a.
Tyrannis etiam inuiſi qui noua excogitarunt ſupplicia.9.a.b.
Tortorum & Iudicum diuerſa æſtimatio.108.a.
Turca odij Græcor.in Latinos vindex.20.b.
Turcæ hęreticos Caluinates perduellionis diuini & humani ſunt conuicturi.46.b.
Tucicos furores noſtra ætate ſuperarũt hęretici.16.b.18.

V

Vaccarum prępinguium typo heroinæ arguuntur.52.
Vaticinia prophetar. de reſtitutione Iudæor. quomodo intellig.73.b
Væ diuitibus terrena omnino quærẽtib.nec pauperum ſollicitis.98.b.
Verbi diuini multiplices iique optimi effectus 145.a.
Verbo Dei orbari pœna grauiſſ.145.a.b.146.147
Verbo Dei ſolo ſtant & vigent animæ.144.b.
Verbum Dei à carnalib. contemnitur ob præconis cohumilem conditionem.35.b.
Verbum Dei ad omnes ex æquo ſpectat 36.a.
Verecundię qui tranſierit fines, eum bene oportet eſſe impudentem.105.b.

Veritas

Veritas à Curia exulat. 81.a.
Victus inopia cõtemtum verbi Dei comitari ſolet.147.b.
Videntes olim nuncupati prophetę. 123.a.
Villagagnes eques Rhod. de Caluinianis ſenſus. 38.b.39.a.
Vindicta diuina bipertitè conſiderari poteſt.72.a.
Virgines ciuitates quę dicantur.73.a.
Virgo appellatur gens Iudęa.72.b.73a.
Viſitatio diuina quid quãdoque notet.37.a.b.
Vocationem ſuam miraculo probat Amos.127.a
Voci diuinæ plus reuerẽtiæ & tremoris debetur quàm tubæ claſſicum perſonanti 41.b.
Vota obſeruanda eorumque violatio execranda.33.a.
Vox Dei alia Abrahamo alia decem tribub. 6.b
Vrbes decem mille quondam continuit Iudęa. 100.a.

FINIS.

*Errata quæ lectorem remorari poſſent, ſic corrigantur.*

Fol.4.a.linea 6.lege Ionam.fol.eod.lin.16.lege tolerãtia.f.eod.lin.17.leg.inuitare.f.eod.b.lin.20.leg.multũ. f.6.a.lin.20.leg.perfluat.f.eod.b.lin.11.& 12.leg. Amos. f.7.a.l.18.leg.ridere.f.8.b.lin.25.leg.prænuntiaſſet.f.20. a.lin.17.leg.Theman.f.21.a.lin.25.leg.præliis.f.22.a.lin. 22.leg.iuſtiſſime,f.24,b.lin.5.leg.magiſtratu. f 25.a.lin. 9.leg.inſontium.f.eod.b.lin.6.leg.Non.f.39.b.lin.5.leg. rugiet.lin.6.ſe habebit. f.47. a.lin.16.leg.Iſraelitarum. f.51.a.lin.1.l.cœnaculo.f.eod.lin.vlt.leg.operturas.f.56. b.lin.14.leg.inquit.f.57.a.lin.8.leg.Bethauen.f.66.a.lin. 1.leg.Iſraelitæ.f.107.a.lin.8.leg.addicti.f.110.b.lin.27 leg.non.f.124.b.lin.27.leg.dicunt.f.143.a.lin.7.le.remorabantur.

7-3